



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni  
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones  
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis  
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

**Henricus, de Sancto Ignatio**

**Leodii, 1709**

Liber Primus. Amor ad Deum per Sacramenta perducens; sive de  
Sacramentis in genere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

# TOMUS III.

## DE SACRAMENTIS IN GENERE ET SPECIE.

### LIBER PRIMUS.

AMOR AD DEUM PER SACRAMENTA PERDUCENS.

Sive

De Sacramentis in genere.



Sacramenta Dominice Incarnationis Reliquias angelicæ vocavit Doctor Angelicus in Prologo libri 4. ad Annibald. Sunt enim pretiosa Monilia, quibus Verbum Caro factum Ecclesiam Spousam suam decoravit, non auro & argento turgida, sed pretioso sanguine suo. Priusquam enim de hoc mundo ad Patrem ascenderet, de gratia sua (ut Bernardus loquitur ferm. de ablut. ped. & ferm. de Bapt. & Cœna) investire curavit suos, ut invisibili gratia signo aliquo visibili præfaretur. Sunt aquæ de fontibus Salvatoris, ad quas hauriendis & sitidens, divinus Amor nos invitat, dicens: *Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite: venite, emite absque ullo argento, & absque ulla commutatione vinum & lac. Ilia. 55. Bene absque ullo argento, & absque ulla commutatione: quia absque alio pretio, quam pretiosis sanguinis à Domino pro nobis gratiose effusi. Qui ut salutaribus nos aquis istis satiet, solam sitim nostram desiderat, solam voluntatem, quam gratiose in nobis operatur. O ingentem benignitatis celeritatem (exclamat Nazianzenus orat. 40.) o facilem contrahendi rationem! Hoc bonum solâ voluntate venale tibi proponitur. Sitis sitiri: cum ab eo beneficium petitur, beneficium afficitur. Invidius dat, quam alii accipiant. Incarnatio itaque divini beneficium est amoris, profluvium inexhaustæ bonitatis, œconomia salutis; istius amoris, profluvii & salutis canales sunt Sacramenta. Quid retribuemus Domino pro tot & tantis argumentis inestimabilis sui in nos amoris? Quid, nisi amorem? Solus quippe est amor, ex omnibus animæ motibus, sensibus, atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere Authori, vel sibi mutuam respondere vicem. Amor, ipse meritum, ipse præmium, ipse causa, ipse fructus, ipse usus.*

#### CAPUT I.

Sacramenti natura ac divisio, novæque legis Sacramentorum à Sacramentis Mosaicæ legis discrimen.

Reverentis causâ, ubi nulla vel modica est inter Doctores controversia, omnis variis acceptionibus Sacramenti, ad rem nostram non facientibus, hanc accipe definitionem Sacramenti in genere, ut comprehendit Sacramenta legis naturæ, legis Mosaicæ, & legis novæ: Sacramentum est res sensibilis, stabili lege à Deo instituta, ut usu suo sanctificet hominem, significetque perfectam gratiam sanctificantem.

Tom. III.

In re communis est definitio, diciturque 1<sup>o</sup>. 2<sup>o</sup>. res sensibilis. Quia de Sacramentis agimus, qua instituta sunt pro hominibus, in hoc statu degentibus, ob duplicem finem: quorum uterque postulat ut Sacramentum sit aliquod sensibile signum. Primus namque finis, ob quem instituta sunt Sacramenta, est ut per illa homines in unum nomen religionis inter se conspirent, ab aliisque sectis, in exteriori Dei cultu, sese discernant. Telle verò Augustino l. 19. contra Faust. c. 11. in nullam nomen religionis coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consorcio colligantur.

Alter finis, quem tradit S. Thomas 3. p. q. 60. 3. a. 4. post D. Gregorium, reclarum cap. multi 1. q. 1. est, ut per Sacramenta, tamquam per signa, homines deducantur in cognitionem rerum ipsi spiritualium, quas significant. Ad earum verò cognitionem deduci nequeunt, nisi per signa sensibilia. Ut enim Os aureum hom. 60. ad popul. ait, si incorporeus esses, incorporea tibi dedisset ipse dona; sed quia corpori conjuncta est anima, in præsentique statu conjunctionis animæ cum corpore, nihil est in intellectu ipsius nisi prius fuerit in sensu, idè rebus sensibilibus tibi intelligenda traduntur.

Dicitur 2<sup>o</sup>. stabili lege, utique pro toto tempore legis, seu Ecclesiæ durantis in lege, pro qua institutum est Sacramentum. Cum enim signa sint Ecclesiæ, ut in hac vel illa lege instituta, tamdiu durare debent, quamdiu Ecclesia illa; cujus etiam sunt velut fundamenta & columnæ, prout de septem novæ legis Sacramentis dicitur Prov. 9. excidit columna: septem. Stabiles verò ædificii oportet columnas esse stabiles. Hujus proinde conditionis defectu serpens æneus, tametsi significaverit curationem à peccatis, quam Christus allaturus erat, Sacramentum non fuit; uti nec lotio pedum Apostolorum, insufflatio in eos, verba Christi ad Magdalenam, & Paralyticum, remittuntur tibi peccata tua. &c.

Dicitur 3<sup>o</sup>. à Deo instituta, ad significandum, 4. solius Dei, non hominum esse, institucere Sacramenta. Quorum instituendorum potestatem etiam si Deus concedere possit hominibus; non tamen eorum instituendorum propriâ, seu humanâ, sed divinâ dumtaxat autoritate. Hinc sacramentalia, solâ Ecclesiæ autoritate instituta, non sunt Sacramenta.

Dicitur 4<sup>o</sup>. ut usu suo sanctificet hominem. Quia de ratione Sacramenti est quoddam sit signum prædicum, non speculativum dumtaxat sanctitatis, quam proinde usu suo conferre debet subjecto suo; non necessariò quidem sanctitatem perfectam, quæ est per gratiam sanctificantem (loquendo de ratione Sacramenti in genere) sed vel perfectam, vel imperfectam, sive sanctitatem in

A

genere, in consecratione aliqua consistentem (à qua loca & vasa sacra, vocantur loca & vasa sancta, terra sancta, &c.) Sacramentum quippe à sacramento dictum est, & (ut S. Thomas ait l. 2. q. 102. a. 5.) *Sacramenta proprie dicuntur illa, quae adhibeantur Dei cultoribus ad quamdam consecrationem, per quam scilicet deputantur quodammodo ad cultum Dei.* Excludit proinde manna, quod Deus asservari iussit in arca, ad praefigurandam Eucharistiam, gratiamque per eam conferendam. Neque enim in arca servari iusta est, ad hoc ut usui suo conferret aliquam homini sanctitatem.

6 Dicitur 5. *Et significet perfectam gratiam sanctificantem*, ad excludendum sacrificium, quod, ut tale, institutum non est ad significandam gratiam sanctificantem, sed ad recognitionem supremi in nos domini divini. Ad excludendum item martyrium; quod licet (secundum aliquos) gratiam conferat ex opere operato; ad eam tamen significandam non est divinitus institutum, sed ad fidei confessionem.

7 Cum allata definitio conveniat Sacramentis, tam legis naturae (in qua fuisse Sacramenta Augustinus tradit l. 5. contra Julian. c. 11.) quam veteris & novae legis, Sacramentum sic definitum convenienter dividitur in *Sacramentum legis naturae, Sacramentum legis Moysaeae, & Sacramentum legis gratiae, seu evangelicae.* Quod postremum in eo praecellit Sacramentis legis naturae & Moysaeae, quod illa significabant quidem gratiam sanctificantem, conferendam per merita Christi, sed illam ex vi & dignitate sua non conferrebant. Hoc enim proprium est Sacramentorum novae legis, quae dicuntur à Concilio Tridentino sess. 7. can. 8. conferre gratiam ex opere operato, id est ex vi & efficacia meritorum Christi, Principalis Agentis, supra dignitatem & merita, tam Ministrum, quam suscipientis (prout uberius explicabimus l. 2. n. 212.) & non solum ex opere operantis, id est ex fide, devotione, vel merito hominis. In quo haeretici errant, dicentes, Sacramenta novae legis, non habere aliam virtutem, quam excitandi fidem, vel devotionem, nec proinde aliter iustificare, quam Sacramenta veteris legis, quae etiam fidem excitabant, & devotionem, eaque mediante, atque ex vi & merito illius fidei (atque ad eam ex opere operantis) iustificabant hominem.

8 Verum errare convincuntur ex Scriptura. Si quidem Apostolus Moysaeae Sacramenta ad Galat. 4. vocat *infirma & egena elementa*, eademque Hebr. 7. iam reprobata dicit *propter infirmitatem & inutilitatem.* Ex opposito docemur in Evangelio, hominem in Baptismo renasci, remitti in caelo peccata, cui remittuntur à Sacerdote. A carne & sanguine Christi vitam manducantibus & bibentibus conferri, per manuum impositionem Spiritum sanctum accipi, &c. Quae ad oculum ostendunt, evangelica Sacramenta non esse signa gratiae ex se sterilia, sed causas effectrices, foetas sanctitate, quam promittunt.

Si dicas 1. *aliud significare Augustinum relationem can. detrahe l. 1. q. 1. Unde ipsa tanta virtus aquae, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.* Ex hoc enim consequens videtur baptismum non abluere cor ex opere operato, sed ex opere operantis.

Respondeo negando assumptum. Quia licet ad consequendam gratiam baptismi, Augustinus ibi requirat fidem baptismum suscipientis (quia sine fide impossibile est placere Deo) nihilominus non dicit, quod baptismus non abluat cor, sive non sanctificet supra meritum & dignitatem fidei suscipientis, sed fidem exigit tanquam conditionem

fine qua non, sicut Theologi omnes, cum SS. Patribus, exigant sublationem obiecti, seu fictionis, vel pravae dispositionis, ad hoc ut baptismus ex opere operato valeat ad salutem & iustificationem. Nec fidem suscipientis Augustinus exigit, si adultus non sit, sed, ut ait can. cum pro parvulis de Consecr. dist. 4. *cum pro parvulis alii respondent, ut impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt; valet (inquam) ad hoc ut mundet infans, quamvis nondum valentem corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem.*

Si dicas 2. *quod originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium cap. maiores de baptismo.* Respondeo ibi non dici, quod remittebatur per circumcisionem, ut per baptismum. Neque enim circumcisio Christi sanguine rubricata erat, uti de baptismo dicitur ibidem. Non (inquam) dicitur ibi, quod originalis culpa remittebatur per circumcisionem, sed per circumcisionis mysterium, id est per fidem, quam in mysterio, sive in arcano significabat: adeoque ex opere operantis, non ex opere operato. Ad quod significandum 1. Cor. 7. dicitur: *Circumcisio nihil est, neque circumcisio aliquid valet, neque preputium, sed nova creatura.*

Dicamus ergo cum S. Augustino in Psal. 73. *Alia sunt Sacramenta dantis salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Testamenti dant salutem: Sacramenta veteris legis promittebant Salvatorem.* Et, cum Concilio Florentino, in decreto de Armenis: *Sacramenta novae legis multum à Sacramentis differunt antiquae legis, quae non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam significabant. Haec vero nostra, & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt.*

## CAPUT II.

### Numerus Sacramentorum novae legis.

Idem certum est, novae legis septem esse Sacramenta, non plura, nec pauciora, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium. Sic Tridentinum sess. 7. can. 1. definit contra nostrum temporis haereticos, in ea non minus à secumipis, quam à nobis discordes. Siquidem Lutherus modò unum tantum, ut lib. ad Valdens. modò duo, ut lib. de capt. Babil. fol. 88. modò tria agnovit, baptismum, poenitentiam, & panem, ut ibidem fol. 65. Calvinus l. 4. instit. c. 18. §. 19. & 20. duo tantum, baptismum, & cenam. Verum ibidem c. 19. §. 3. presbyteratus ordinem pro Sacramento recipit. Et in Antidoto Conc. Trid. sess. 7. c. 4. quatuor tantum rejicit Sacramenta. Zuinglius l. de falsa & vera relig. tria Sacramenta agnoscit, baptismum, cenam, & matrimonium. Philippus Melancton in locis communibus anno 1522. editis duo tantum admittit. Verum etate factus prudentior (inquit Lindanus l. 4. Panopl. c. 6.) tria tantum agnoscit Sacramenta, ut videre est in Apologia Augustana anno 30. edita. Nec tamen in hoc numero sibi consentendum existimavit: siquidem in locis anno 52. recusus ex sua censura contra Symmistarum omnium sententiam, quantum euperet additum, dicens: *Mihi maxime placet, etiam addi baptismum cannae Dominicae, & absolutioni ordinationem.* Alius porrò ex illis novo isthoc spiritu afflatis (pergit Lindanus) scribit sex semper fuisse credita Sacramenta, licet alicubi septem. Ita nimirum nec inter se, nec secumipis concordant, qui semel à certa veritatis regula deviant.

## Amor ad Deum per Sacramenta perducens.

3

11 Nos autem Catholici, quantum ad essentiam, numerum & efficaciam Sacramentorum, hoc tenemus (ait optime Latomus adversus Tindicum pag. 193.) quod in Ecclesia Catholica didicimus; eandem sequentes regulam in recipiendis Sacramentis, quam sequimur in recipiendis canonicis Scripturis. Nam sicut illas Scripturas habemus canonicas, quas omnes Ecclesie Catholice pro canonicis agnoscunt; sic illa habenda censemus Sacramenta, quae pro Sacramentis habet omnis Ecclesia Catholica. Et quemadmodum Catholicus Orthodoxus non veris rationibus adducitur, ut de autoritate Scripturae canonicae dubitet, vel alicujus partis ejus, eò quòd videat quasdam haereses, vel schismata, ipsam Scripturam in totum, aut ex parte, vel non recipere, vel repudiare; ita sentiendum de Sacramentis. Quia regula credendi ex ipsa Ecclesia Catholica, & ex his qui in ea permanent, petenda est, non ex his qui foras exierunt, aut projecti sunt. Ut enim ex ramis in vite permanentibus uvae, unde vinum exprimitur, colliguntur, non de farmentis praecitis; ita quoque veritas fidei ac doctrinae Sacramentorum, ex Catholicis Orthodoxis petenda est, non ex haereticis, aut schismaticis. Proinde illud habendum pro Sacramento, quod pro Sacramento Catholica habet Ecclesia, etiamsi hoc non probet per Scripturam expressam. Etenim verbum Dei traditum equivaleret scripto. Non enim omnia ad fidem, religionem, & Sacramenta spectantia, expressè habentur in Scripturis, ut constat ex dictis Patrum, & ex ipsa canonica Scriptura. Nam & ipse Paulus quaedam verbo tradidit Timotheo, tanquam fidei depositum, quae praecipit commendari fidelibus hominibus, qui idonei essent alios docere. Unde sicut veritas fidei, verus Scripturae intellectus, & vera obscurorum locorum interpretatio, ex Ecclesia Catholica petenda est; ita & veritas, usus & fructus Sacramentorum. Frustrà proinde haeretici, ex Scriptura probari volunt septem Sacramenta. Tametsi enim non putemus deesse Scripturas testificantes de illis; etsi tamen desissent, vel earum aliqua expositione, vel interpretatione haereticorum aliorum traherentur; sufficere debet homini pio & fideli traditio & expositio Ecclesiae Catholicae.

Septenarium itaque Sacramentorum numerum sufficienter probamus ex perpetua Ecclesiae Orientalis (de qua testimonium perhibuit Hieremias Patriarcha Constantinop. Wittenbergensis respondens 15. Maii 1576.) & Occidentalis traditione; quae cum ab aliquo determinato Concilio, vel Pontifice non probetur introducta, secundum regulam Augustini epist. 118. censenda est ab Apostolica traditione manasse. Et de omnibus quidem septem Sacramentis antiquissimorum Patrum, Graecorum, Latinorumque testimonia apud Autores nostros inveniuntur. Enimvero Tertullianus de praescript. c. 40. meminit *indictionis*, id est Baptismi, *expiationis peccatorum*, id est Penitentiae, *signationis in frontibus*, id est Confirmationis, *oblationis panis*, id est Eucharistiae, *summi Pontificatus*, id est Sacerdotii, sicut & *nuptiarum*, id est Matrimonii. Quibus cap. 41. addit *curacionem agrorum*, id est Extremam Unctionem. Similiter Augustinus epist. 118. tamquam vera Sacramenta nominat *Baptismum & Eucharistiam*. L. 2. contra epist. Petilian. c. 104. *sacrum Chrisma*. L. 1. de adulter. conjug. c. 26. & 28. & in Psal. 146. *Penitentiam*. L. 2. contra epist. Parmen. c. 13. *Ordinationem*. L. 1. de nupt. & concup. c. 10. & lib. de bono conjugii c. 24. *Sacramentum Matrimonii*. Epist. 119. c. 7. *Oleum*, seu Extremam Unctionem. De qua etiam videri possunt Innocentius I. in epist. ad Decentium, Chrysostom. I. de sacerdotio, Cyrillus noster Alexandrin. I.

Tom. III.

2. in Leviticum, alique Patres.

Sed quid est quòd septenarium Sacramentorum à nobis potius ex Scriptura probari volunt, quam quaternarium numerum Evangeliorum, vel quàm binarium vel ternarium dumtaxat numerum Sacramentorum ipsi ex Scriptura probent? Cur ad id probandum nobis non sufficit praescriptio possessioque ab antiquis ducta temporibus, Ecclesiaeque Orientalis & Occidentalis consensus: cum pro illo suo binario vel ternario dumtaxat numero, ne ullum quidem Patrem Lutherani & Calvinistae habeant, nec ullum Scripturae testimonium?

Denique ex Scriptura eo ipso demonstramus esse plusquam duo, vel tria Sacramenta, quo ex Scriptura demonstramus, esse plusquam duo, vel tria symbola, seu signa externa, gratiae collativa. Quòd enim Baptismus, Eucharistia, Penitentia, & Ordo, sint symbola externa, nec negant, nec negare possunt. Quòd autem gratiae sint collativa, probatur de Baptismo ex Act. 2. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*. De Eucharistia ex Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, &c. habet vitam eternam*, id est jus ad eam, per gratiam. De Penitentia ex Joan. 20. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis*. Remissio verò peccatorum non fit nisi per gratiae infusionem. De Ordine, ex eo quòd Christus ibidem Apostolis conferens absolvendi potestatem (quae spectat ad sacram ordinationem) dixerit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis, &c.* Necnon ex eo quòd Apostolus 2. Timoth. 1. loquens de Timothei ordinatione dicat: *Admonete, ut resuscitet gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum*.

Si praeterea haeretici advertant ex Scriptura constare, quòd quatuor illa symbola à Deo sint instituta, quid amplius postulant ad probandum ex Scriptura, quòd verè sint Sacramenta? Et quibus aliis ex Scriptura argumentis probant ipsi, Baptismum & Eucharistiam esse Sacramenta? At qui quatuor illa symbola à Deo esse instituta, constat ex Scriptura, & quidem de Baptismo ex Marci ult. *Euntes in mundum universum, baptizate, &c.* De Eucharistia ex Luc. 22. & 1. Cor. 11. *Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, &c.* De Penitentia ex Joan. 20. antè citato. De Ordine quoad potestatem absolvendi ex eodem c. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis, &c.* Quoad potestatem verò consecrandi ex Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*.

Eccc ergo plusquam duo vel tria Sacramenta, ex Scriptura demonstrata. De Matrimonio idem probatur ex c. 5. ad Ephes. *Sacramentum hoc magnum est*. Illudque à Deo institutum esse constat ex Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Aiunt quidam haeretici Apostolum loco citato non loqui de Sacramento gratiae collativo, sed mysterii significativo. Verùm Apostolum ibi sic loqui de Sacramento mysterii significativo, ut etiam loquatur de Sacramento gratiae collativo, perpetuus fuit Ecclesiae sensus ac traditio: nec contrarium ex Scriptura vel aliunde haeretici probare possunt.

Superfunt Confirmatio & Extrema Unctio. Confirmationem verò esse signum gratiae collativum, habemus ex Act. 8. & 19. *Imponebant manus super illos (baptizatos) & accipiebant Spiritum sanctum*. Idem de Extrema Unctione habemus ex Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, & orent super eum, ungentes eum oleo... & si in peccatis fuerit, remissentur ei*. Quòd si ex Scriptura expressè habeamus, duo ista Sacramenta gratiam conferre, eo ipso ex eadem implicite habemus, esse institutionis divinae: cum solius Dei sit signa gratiae collativa instituire.

A

## CAPUT III.

Sacramentorum novæ legis divisio.

- 17 Sacramenta novæ legis, alia sunt vivorum, alia mortuorum. Alia imprimunt, alia non imprimunt characterem.

*Mortuorum* Sacramenta dicuntur, quæ primario & principaliter instituta sunt pro spiritualiter mortuis ad vitam spiritualem revocandis, id est peccatoribus justificandis. Et hæc sunt duo tantum, Baptismus scilicet, & Pœnitentia.

*Vivorum* Sacramenta appellantur illa, quæ primario & principaliter instituta non sunt pro spiritualiter mortuis, sed pro vivis Christi membris: cum vitam spiritualem per se loquendo requirant in subiecto, ad hoc ut dignè suscipiantur. Et huiusmodi sunt reliqua quinque, videlicet Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo & Matrimonium.

- 18 Characterem tria imprimunt Sacramenta, Baptismus, Confirmatio, & Ordo. Reliqua quatuor non imprimunt. Et ideo quatuor ista reiterari possunt. Tria illa non possunt, ut definitum est in Tridentino sess. 7. cap. 9. *Siquis dixerit, in Baptismo, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, id est signum spirituale & indelebile, unde ea reiterari non possunt, anathema sit.*

- 19 Hunc characterem (qui spiritualis est qualitas, anima indelebiter impressa, per quam homo specialiter consecratur, & adsciscitur, vel in rempublicam, vel in militiam christianam, vel magistratum, potestatemque specialem in ea republica ac militia accipit) hunc, inquam, characterem, vel fictitium, hæretici rident, sed ad eum comprobandum traditionis Ecclesiæ sufficit auctoritas, sanctorumque Patrum, Græcorum, Latinorumque consensus, apud Bellarminum l. 2. de effect. Sacram. c. 2. sic unanimiter intelligentium illa sacrarum Paginarum cætera, quibus dicimur à Deo signari, sigillo imprimi, suæque hæreditatis pignore donari Ephes. 1. & 4. 2. Cor. 1. &c. Quod quidem signaculum sanctum & indelebile vocat Cyrillus Hierosol. in Præfat. ad Catecheses, necnon Catechesi 17. *Nisi characterem in se agnoscat Angelus (inquit Basiliius homil. 13.) quomodo pro te iugabit... Quomodo dices, Dei sum, signa Dei ostendens? Quomodo dices, (ait Os aureum hom. 3. in 2. ad Cor.) nota quedam militibus, sic fidelibus spiritus imponitur, quo sit, ut si ordinem deserueris, omnibus perspicuus fiat, &c. Videri potest Augustinus l. 6. de Baptismo c. 1. ubi docet, characterem in impiis permanere, à gratiaque proinde sanctificante distingui. Quod & Apostolus innuit 2. Cor. 1. *Unxit nos Deus, qui & signavit nos: unctionis nomine gratiam significans; nomine verò signationis, seu sigillationis characterem.**

- 20 Si quæras 1<sup>o</sup>. cur consignatio in Christianum, vel in militem Christi, vel in Ducem christiani gregis, &c. potius imprimat qualitatem aliquam supernaturalem in anima, quam adoptio vel collatio politica potestatis subiecto suo qualitatem imprimat naturalem?

Respondeo cum Pallavicino Hist. Trid. l. 9. c. 5. in fine id apud homines ab ipsorum imbecillitate procedere, quæ per intimas animæ dotes, jus ad hæreditatem vel magistratum impertientes, potens non est alios nobilitare, sicut Deus. Ideoque sola voluntatis suæ sterili declaratione, id fictione juris efficiunt, quod Deus, qui quicquid vult potest, fecunda efficacique voluntate suâ per inditas animis dotes, adjectaque supra naturæ conditionem decora ac vires sine ulla fictione præstat.

Si quæras 2<sup>o</sup>. cur tria potius designata Sacramenta, quam quatuor reliqua, characterem imprimant?

Respondeo pro ratione esse Dei voluntatem, dictâ traditione nobis manifestatam. Nec ad hoc deesse congruentiam. Quia per tria illa Sacramenta, potius quam per reliqua, homo consignatur in Christianum, in Christi militem, atque in gregis Christi Ducem, absolvendi consecrandique Corpus Christi potestate donatur.

## CAPUT IV.

*Omnia novæ legis Sacramenta Christus Dominus immediate instituit. Non videtur tamen fide certum, sic omnia per seipsum immediate instituisse, ut pro nonnullis usus non fuerit ministerio Apostolorum, tanquam executorum mandati sui; in eo proinde non agentium virtute & auctoritate propria & principali (sicut in conditione legum Ecclesiasticarum) sed virtute & auctoritate Christi, tanquam causæ principalis; nec suo, sed ipsius nomine, ac mandato. Sic proinde ut tota institutio Christo adscribenda sit.*

Quod omnia novæ legis Sacramenta Christus Dominus instituerit, fide certum est. Sic enim Tridentinum sess. 7. can. 1. definit, his verbis: *Siquis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit.* Et ratio est, quia solius divini potestatis est, signa gratiæ præcipue principaliter instituire: uti solius divini potestatis est, gratiam principaliter conferre.

Quod autem Christus omnia novæ legis Sacramenta immediate instituerit, tametsi Tridentinum non exprimat, verum eundem est. Quia id exigit proprietas verborum Tridentini. Neque enim omnia à Christo proprie instituta fuissent, nisi immediate instituta fuissent, ut patet in ritibus accidentalibus ad decoram Sacramentorum administrationem ab Ecclesiâ institutis, qui licet à Christo eatenus dici queant instituti, quatenus instituti sunt potestate ab ipso accepta; proprie non dicuntur à Christo instituti. Uti nec sacramentalia.

Sed & congruum est, quod immediatus Author gratiæ, sit immediatus Author vatorum gratiæ. Quodque sicut Christus Ecclesiæ novumque Testamentum immediate instituit; sic & Sacramenta, quæ sunt Ecclesiæ columna, pariter non infima novi Testamenti. Nec minus immediate admitterit Sacramentorum omnium institutioni, quam adit eorumdem efficaciam & operationi. *Cum igitur virtus Sacramenti sit à solo Deo, consequens est quod solus Deus sit Sacramentorum institutor, ait S. Thomas q. 64. a. 2.*

Nec tamen inde necessarii conficitur, quod omnia per seipsum instituerit. Quia non solum ea verissime dicuntur à Christo immediate instituta, quæ Christus per seipsum, sed & ea quæ instituit ministerio Apostolorum, tanquam commissariorum, delegatorumque suorum, & tanquam executorum mandati sui, non suo, sed ipsius nomine agentium, nec propria, sed ipsius virtute & auctoritate: Christus namque per ministerium Sacerdotum, nomine, & in virtute ipsius agentium, consecrat in Missa, immediate tamen. Sicut & Deus, ut causa universalis, producit innumeros effectus, quos per causas secundas producit, & ut Author supernaturalis immediate producit gratiam, quam per Sacramenta producit. Immediate quoque solem sicut per Josue, immediate suscitavit mortuos, quos per Sanctorum ministerium suscitavit, &c.

Quapropter ex allato Tridentini canone Recentiores quidam non satis fundatè concludunt, esse

## Amor ad Deum per Sacramenta perducens.

de fide, quod Christus per seipsum solum omnia novae legis Sacramenta instituerit, nulla per Apostolos. Tamen enim communis opinio, quae id asserit, probabilissima sit; per Tridentinum damnata non est opinio Hugonis à S. Victore l. 2. de Sacram. parte 1. c. 2. Magistri in 4. dist. 23. c. 2. D. Bonaventurae q. 2. aientium, quod Christus per Apostolos Extremam Unionem instituerit. Quod & de Diaconatu D. Cyprianus epist. 65. ad Rogatian. significare videtur, cum ait, quod *meminisse Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est Episcopos & Praepositos Dominus elegit. Diaconus autem, post ascensum Domini in caelum, Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui, & Ecclesiae Ministros.*

27 Magis proinde credimus duobus eximii Theologis Lovaniensibus, Judoco Ravesteyn Tiletano, & Ruardo Tappero, qui Tridentino interfuerunt & ideo sententiam allati canonis ab ipsis Conditoribus dicere potuerunt, quam dictis Receptoribus. Tiletanus verò, in Apologia decretorum Concilii Tridentini, quam contra Kemnitium, redux ex Tridentino conscripsit, Kemnitium arguit, quod citatum canonem sic recitat: *Siquis dixerit, non omnia ista septem Sacramenta à Christo ipso instituta esse, anathema sit. Hanc cavillationem (inquit Tiletanus) studiosè & circumspèctè Patres Synodi excluderunt, dum decreverunt, quod omnia legis novae Sacramenta instituta quidem sint à Jesu Christo; non autem quod omnia sint à Christo immediatè, per seipsum, instituta. Quamvis enim sententia affirmans Christum per seipsum omnia instituisse, praferenda sit, praesentis tamen canonis veritas (pergit Tiletanus) ... immota consistit, sive Christus per seipsum, sive per Apostolos suos, dicente Spiritu sancto, intelligatur Sacramenta novae legis instituisse.*

28 Tapperus autem in explicatione articulorum S. Facultatis Theologicae Lovaniensis, quam etiam scripsit post suum reditum ex Tridentino, primum hunc articulum: *Credendum est esse septem Ecclesiae Sacramenta, à Christo instituta, confirmari dicit praesenti canonè Tridentini, eodemque modo intelligendum esse. Quodque articulus solum habet, quod omnia Sacramenta sunt à Christo instituta; non autem, quod ab eo sunt instituta immediatè per seipsum.*

29 Enimverò Tridentini Patres (teste Pallavicino Histor. Concil. Trid. l. 12. c. 1.) circumspèctè exquiverunt verborum formulas, remotas ab omni specie labis euticæque Theologicarum classum inferende. Quia (ut ait ibidem c. 2.) Concilio satis erat haereses prohibere, scholasticis quaestionibus relicti. Id enim Tridentini Patres non semel monuerunt (ut Bituntinus ibidem relatus) solas haereses esse damnandas, non autem scholasticarum sententias esse definiendas.

### CAPUT V.

*Omnia novae legis Sacramenta perficiuntur rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ.*

30 Omnia novae legis Sacramenta perfici rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ, doctrina est Concilii Florentini in decreto unionis Armenorum. Ubi per rem intelligitur aliquid sensibile ex se non determinatum ad significationem Sacramenti, aptum tamen ad id determinari per formam; sive sit quidpiam permanens, ut aqua, oleum, &c.; sive sit actio, ut ablutio, unctio, &c.; sive verba aliqua, ut vocalis confessio, in Sacramento Poenitentiae. Cujusmodi res ideo dicitur se habere tanquam materia: quia sicut materia in compositis physicis ex se non determinat hoc compositum praeter illo,

sic in compositis artificialibus ex rebus & verbis, (cujusmodi est Sacramentum) illud se habere velut materia, quod ex se non determinat hanc Sacramenti significationem praeter illa: verbum autem determinans hanc Sacramenti significationem praeter illa, dicitur se habere velut forma: quia sicut forma in physicis determinat ad hoc potius compositum quam ad aliud, sic verbum determinans certam significationem Sacramenti, determinat ad hoc potius Sacramentum, seu artificiale compositum, quam ad aliud, sive interim verbum illud vocale sit (quale requiritur in omnibus Sacramentis, excepto Matrimonio) sive quidpiam vocibus æquivalens; cuiusmodi in Matrimonio sunt signa externa consensum exprimentia, v. g. nuptus, scriptura, &c.

31 Neque à doctrina illa Concilii Florentini exsequendum est Sacramentum Eucharistiae, tamen permanens, postquam verba transierunt. Quia saltem in fieri verbis perficitur, tanquam forma. Verum proinde est, Sacramenta omnia, saltem in fieri, perfici rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ.

32 Culpant quidem Ecclesiam Romanam ipsius hostes, quod Sacramentorum doctrinam explicet per materiam & formam: eò quod modus ille explicandi à sanctis Patribus non fuerit usurpatus. Sed licet SS. Patres non usurpaverint modum illum loquendi, sufficit quod usurpaverint rem eò significatam. Ut Augustinus tract. 80. in Joan. dicens: *Accedis verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Et iterum ibidem: *Detrahe verbum, in Baptismo, quid est aqua, nisi aqua? Ad probandum itaque modum illum loquendi, explicandique Sacramenta, sufficit autoritas Ecclesiae Orientalis & Occidentalis. Quod enim Orientalis Ecclesiae in eo continet Occidentali, liquet ex cap. 7. responsi Hieremiae Patriarchae Constantinopolitani ad Witembergenses. In quo post enumerata septem Sacramenta supradicta, addit: *Quae quidem omnia Sacramenta sacra sanciantur Scripturâ, certaque ac definita materiâ & formâ... habent... Ubi Baptismi quidem materiâ est aqua, formâ autem verba Sacerdotis... Similiter autem & in aliis omnibus certam eisdem materiâ & formâ invenire liceat.* Eandem loquendi methodum amplectitur Gabriel Philadelphiae Metropolitae, in libello de Sacramentis.*

33 Majoris autem explicationis gratiâ duplex Sacramentorum materia assignari solet, remota scilicet & proxima. Remota est res sensibilis, quam per formam determinatur, mediâ actione, per quam applicatur. Proxima est applicatio illius, sive actio per quam applicatur. Sic in Baptismo aqua est materia remota; ablutio, materia proxima.

### CAPUT VI.

*Materiam & formam Sacramentorum novae legis Christus sic instituit, ut à se institutam Ecclesia immutare non possit, nec immutandi potestatem Christum ipsi relinqueret.*

34 Materiam & formam Sacramentorum novae legis à Christo institutam esse, consequens est ex dictis cap. 4. Siquidem essentialia Sacramentorum instituit, qui Sacramenta instituit. Cum ergo Sacramenta Christus instituerit, essentialia Sacramentorum, eorumque proinde materiam & formam instituisse necessario dicendus est.

35 Nec magis Ecclesiae reliquit potestatem immutandi materiam vel formam Sacramentorum à se institutam, quam Sacramenta ipsa. Nec magis quam immutare possit materiam legum divinarum. Quae enim à Deo instituta sunt, per

homines immutari non possunt.

36 Proinde Ecclesia facere nequit, ut quæ hodie in sacra ordinatione sunt merè ceremonialia (v. g. sacrarum vestium usus, quibus in susceptione sacrorum Ordinum ordinandi induuntur, vel in Presbyteratu manuum unctio) nec à Christo instituta sunt, velut materia essentialis, sint nihilominus materia essentialis. Nec pro variis temporibus, aut locis, sic varias adhibere materias, ut novam instituat, irritando priorem; nec eam quæ modò valida est, irritare; vel eam quæ modò irrita est, validam facere. Tametsi eorum omnium potestatem Ecclesiæ tribuat Amicus de Sacram. disp. 11. l. 4. n. 45. & 58. Dicastillo disp. 1. dub. 20. alique Noviores.

Cur enim (obsecro) materiam illam, quæ olim valida fuit, jam magis irritare; vel eam quæ olim irrita fuit, validam potius efficere potest, quàm formam olim validam, hodie irritam, vel quæ olim irrita fuit, hodie validam efficere? At hoc non posse, optime docet Adrianus VI. in 4. de Baptif. pag. 22. his verbis: *Novèrit Ecclesia, se non esse dominam Sacramentorum, nec posse magis formam aliquam sacramentalium destituere, aut novam instituere, quàm legem aliquam divinam abolere, vel ad tempus ab obligatione hominum suspendere, vel novum aliquem articulum fidei instituere.*

37 Potuit quidem Christus illam Ecclesiæ tribuere potestatem: at tribuisse quo argumento probatur? Certè non ex Scriptura, non ex Conciliis, non ex Patribus. Non itaque ex verbo Dei scripto, neque ex tradito. Quà solà vià probari queunt quæ pendunt ex libero Dei, vel Christi beneplacito.

38 Dices: Traditio patenæ cum pane, & calicis cum vino, hodie apud Latinos est materia ordinationis sacerdotalis, uti Florentinum docet; ante sæculum septimum, vel octavum non fuit. Nec adhuc hodie est apud Græcos, sed impositio manuum dumtaxat. Cujus etiam solius mentio fit in Scriptura, & verusis Patribus. Dubitari verò non potest de valore ordinationis sacerdotalis apud Græcos, magis quàm de valore ejusdem ordinationis, sine dicta materia, ante sæculum septimum, vel octavum, ante quod nulla legitur mentio illius. Igitur Ecclesia aliam modò materiam dictæ ordinationis assignavit, quàm olim. Et aliam pro Latinis, aliam pro Græcis.

Respondeo 1<sup>o</sup>. traditionem patenæ cum pane, & calicis cum vino, non esse materiam essentialem ordinationis sacerdotalis; sed accidentalem dumtaxat, uti probabitur l. 7. c. 9. Secundo respondeo materiam & formam ordinationis sacerdotalis semel validam, semper & ubique validam fuisse & fore, neque ecclesiasticæ immutationi obnoxiam esse vel fore, cum sit institutionis divinæ; idèdque Adrianus VI. loco citato, velut absurdam rejicit opinionem Innocentii, & quorundam aliorum Canonistarum, aientium, quòd si Latinus baptizaretur formâ Græcorum, invalidè baptizaretur. Imò (inquit) *videtur, & absque ulla dubitatione pronuntio, quæcumque forma apud Græcos sufficit pro Baptismo, à Latino observata, confert verum Baptisma, licet confertur graviter peccet, prætergrediens formam, quàm sibi servare incumbit necessitate præcepti. Et ab hoc (nota) nemo Theologorum aut Doctorum discrepat.* Sicut ergo forma sufficiens ad valorem pro Græcis, sufficit pro Latinis, & quæ olim fuit, adhuc hodie est sufficiens; sic & materia. Neque Ecclesia magis efficere potest, ut Græci Sacerdotes validè ordinent cum sola manuum impositione, Latini cum sola instrumentorum traditione, quàm ut Græci validè celebrent in solo fermentato, Latini in solo azymo.

39 Si ergo Latinus à Latino Episcopo hodie Sa-

cerdos ordinaretur cum sola manuum impositione, formæque Græcorum, validè ordinaretur, tametsi illicite. Nec minùs hodie valida foret talis ordinatio Latinorum, quàm fuerit ante sæculum septimum, vel octavum. Neque enim Latina Ecclesia novam materiam introduxit, vel materiam apud Græcos validam, apud Latinos irritavit; sed si hodie declaravit materiam convenientem ordinationis sacerdotalis esse traditionem patenæ cum pane, & calicis cum vino, declaravit materiam illam esse convenientem; non tamen necessariò adhibendam, necessitate Sacramenti.

Ex quo patet, nihil adversus conclusionem nostram concludi, ex eo quòd illà instrumentorum traditione Ecclesia fortè non semper usa fuerit, sed aliquot sæculis solà manuum impositione. Ex eo (inquam) non magis concluditur, sacerdotalis ordinationis materiam esse quoad valorem ab Ecclesia immutatam, & quæ ab initio valida non erat, validam effectam; quàm ex eo quòd Ecclesia olim aliquot sæculis trinâ baptizaverit immersione; hodie unicâ: concludi queat, Baptismi materiam esse quoad valorem ab Ecclesia immutatam, &c. Sed sicut hinc potius concludendum est, Ecclesiæ ab initio innotuisse valorem Baptismi, five trinâ, five unicâ impositione fieret: sic inde potius concludendum est, ab initio Ecclesiæ innotuisse valorem sacerdotalis ordinationis, five solâ manuum impositione fieret, five additâ illi instrumentorum traditione; tametsi ab initio traditionem illam fortassis non usurpaverit.

Hæc via solvendi objectam difficultatem plana est, eamque cum viro apprime erudito, P. Francisco Farvacques, Ord. Eremit. S. Aug. S. Th. Doctore Lovaniens. de Sacram. in genere c. 4. q. 3. censeo præferendam illi, quæ excogitaverunt laudati Recentiores, aientes, non valituram hodie, sicut olim, ordinationem Sacerdotis cum sola manuum impositione; nec valituram apud Latinos, sicut valet apud Græcos. Eò quòd aliam hodie materiam Ecclesia determinaverit, quàm olim, & aliam pro Græcis, aliam pro Latinis. Hoc enim dato, ingens per totum Occidentem facta fuit mutatio & innovatio in substantialibus Sacramenti; ex qua cum sequi nata sint turbæ, commotiones, oppositiones hominum (qui in rebus momentosis, maximè divinis, tenaciores esse solent consuetudinum suarum, & osiores novitatum, nullam utilitatem ipsis adferentium) ejusmodi innovatio & immutatio credenda non est, nisi certis argumentis demonstretur. Non demonstratur autem: cum tantæ innovationis apud Historicos, totamque Antiquitatem, nulla invenitur mentio, sed alium silentium; nec assignari queat tempus, locus, causa, tam momentosæ immutationis, quæ posteritatem non magis latere posset, si reverà contigisset; quàm posteritatem latere ponerit innovatio contractûs matrimonialis, facta per Concilium Tridentinum. Quæ licet non fuerit mutatio substantialis materię Sacramenti, notæ sunt ex Pallaviciana Historia Concilii Tridentini l. 22. c. 4. 8. 9. & l. 23. c. 5. & 18. ingentes adversus eam oppositiones plurium Patrum. Tum quia sufficientem ad eam causam adesse non censebant post consuetudinem tot sæculorum in contrarium. Tum quia dubitabant, num ad eam introducendam foret in Ecclesia potestas. Tametsi enim non dubitabant, impedimenta dirimentia matrimonium, ab Ecclesia statui posse, reddendo ad illud contrahendum ineptas duas personas; quæ antea erant aptæ: permanente tamen habilitate in personis, non credebant ab Ecclesia adijci posse modum, sine quo non subsisteret substantia Sacramenti, quæ sine

sine eo antea subsistebat. Quod per matrimonii clandestini irrationem fieri plures ex ipsis censent; alii an non fieret, dubitabant. Et idem decretum irritans clandestinum matrimonium displicuit plurimam quinquaginta Patribus, inter quos duo fuere eisdem Concilii Praesides, ut videre est ibidem l. 23. c. 9.

42 Si tantam oppositionem contentionemque excitavit innovatio ista, per quam revera non immutabatur materia, nec forma Sacramenti Matrimonii. Quamvis putas oppositionem commotionemque excitasset innovatio materiae substantialis Sacramenti Ordinis post contrariam etiam plurimorum saeculorum consuetudinem? Maxime cum ad irritandum matrimonium clandestinum Ecclesiam coegerit necessitas claudendi januam gravissimis inconvenientibus. Nulla vero est necessitas substantialiter innovandi materiam Ordinis, mutandique essentialiter ritum primum, ab Apostolis praestitum, & a successoribus per septem vel octo saecula usum servatum. Cum nulla ex eo ritu secuta sint, vel periculum nullum fuerit ne ulla sequeretur inconvenientia. Ergo mutatio illa tanto magis apparet incredibilis, quanto magis advertebatur capitali regula, quam Romana sequitur Ecclesia: *Nihil innovetur, traditio servetur*; adversa quoque rectae rationi, quae dicitur, Ecclesiae a Christo non esse concessam facultatem innovandi in substantialibus Sacramentorum, absque necessitate, vel ingenti utilitate. Quae non apparet in praesens mutatione.

43 Dixi, quod per innovationem circa contractum matrimoniale factam a Tridentino, innovata non fuerit materia, nec forma Sacramenti Matrimonii. Tum quia contractus clandestinus fortasse nunquam fuit Sacramentum. Tum quia dato quod per innovationem istam contractus clandestinus desierit esse materia Sacramenti Matrimonii, non idem materia Sacramenti Matrimonii innovata fuit; sed sicut ante, sic postea contractus legitimus mansit materia istius Sacramenti. Et sicut Eucharistiae materiam non mutat, qui facit de vino acetum; sic Matrimonii materiam non mutat, qui facit contractum matrimoniale de legitimo illegitimum. Nunquam enim contractus illegitimus fuit materia Sacramenti Matrimonii, magis quam acetum materia Sacramenti Eucharistiae. Innovata quidem fuisset materia Sacramenti Matrimonii, si consensus clandestinus, manens contractus legitimus, desisset esse materia illius, cum ante fuisset. Sed solumatenus desit esse materia, quatenus desit esse contractus legitimus.

CAPUT VII.

*Sacramentum est nullum, quoties materia, vel forma a Christo instituta, substantialiter mutantur. Sed si accidentaliter tantum. Mutationis substantialis modi quinque recensentur.*

44 Pars prior assertionis perspicua est ex dictis capite praecedenti: si enim Ecclesia ne quidem potestatem habet valide mutandi substantialia Sacramentorum; multo minus Ecclesia Ministrum.

45 Pars posterior non minus perspicua est: sicut enim essentia, sic valor Sacramentorum stat sine ritibus accidentalibus. Tametsi peccet, qui absque necessitate praetergreditur ritus ab Ecclesia praescriptos.

46 Porro substantialis mutatio materiae contingit, quoties loco illius, quam Christus instituit, substituitur alia, quae vel sit alterius speciei, vel idonea non sit ad communem usum, significationi Sacramenti congruentem, ad quem adhiberi solet materia a Christo instituta, ut si in Baptismo

adhibeatur aqua vitae, vel glacies, quarum prior specie differt ab aqua naturali; posterior, etsi non differat specie, adhiberi non solet ad abluendum, nec ad hoc idonea est, quia non liquida, in coque proinde illa idonea non est ad communem usum, significationi Baptismi congruentem, ad quem adhiberi solet aqua naturalis. Mutatio vero materiae tunc est accidentaliter, quando sic est aliquo modo diversa, ab ea qua Ecclesia utitur, ut nec sit alterius speciei, nec inepta ad communem usum, significationi Sacramenti congruentem, ad quem materia a Christo instituta adhiberi solet, ut si quis infans baptizetur cum aqua non consecrata, vel Latinus consecret in pane fermentato. Et hoc est quod intendit S. Th. 3. p. q. 66. a. 4. dicens, quod in qualibet aqua, qualitercumque transmutata, dummodo non solvatur species, nec usus aquae, potest fieri baptismus. Si vero solvatur species aquae, non potest fieri baptismus.

Tunc autem forma substantialiter mutari censetur, quando non retinet sensum formae, quem Christus voluit significare, & Ecclesia solet intelligere. Alias forma mutatio est accidentaliter. Ceterum verba operentur in Sacramentis quantum ad sensum quem faciunt, (ait S. Th. q. 60. a. 8.) oportet considerare, utrum per talem mutationem tollatur debitus sensus verborum. Quia, si sic, manifestum est quod tollatur veritas Sacramenti. Manifestum est autem, quod si diminuat aliquid eorum quae sunt de substantia formae sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum. Et idem non perficitur Sacramentum. Unde Dydimus dicit in lib. 2. de Spiritu sancto: si quis ita baptizare conetur, ut unam de praedictis nominibus praetermittat (scilicet Patris, & Filii, & Spiritus sancti) sine perfectione baptizabit. Verum si substituat aliquid, quod non sit de substantia formae, vel diminutio non tollit sensum debitum verborum, & per consequens nec Sacramenti perfectionem. Sicut in forma Eucharistiae, quae est, Hoc est enim Corpus meum, ly enim sublatum, non tollit debitum sensum verborum, & idem non impedit perfectionem Sacramenti.

Similiter non obstat valori, seu perfectioni Sacramenti, si quis, non errorem introducens, vel haeresim, sed pro sola ignorantia linguae Latinae baptizando dicat: *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, uti Zacharias Papa declaravit can. resulerunt de Consecr. dist. 4. ubi tamen, dum Pontifex exceptionem hanc posuit, non errorem introducens, vel haeresim, satis inquit, secus dicendum, si tali forma baptizasset, ad errorem introducendum, vel haeresim. Siquidem exceptio firmat regulam in contrarium. Et rationem dat S. Thomas citata q. 60. a. 8. quia intentio Ministrum requiritur ad Sacramentum. Et idem si intendat per huiusmodi additionem, vel diminutionem, alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici Sacramentum; quia non videtur quod intendat facere id quod facit Ecclesia. Et rursus ibidem: Circa additionem etiam contingit aliquid apponi, quod est corruptivum debiti sensus. Puta, si aliquis dicat: *ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filii minoris, sicut Arriani baptizabant*. Et idem talis additio tollit veritatem Sacramenti.

Hoc tamen intellige, ut procedat, dum Minister, ea quam facit verborum mutatione, vel additione, sic intendit errorem introducere, ut verum sensum formae destrueret vellet, falsumque (quem tenet) adstruere, ut si baptizando in nomine Patris, & Filii, &c. intendat significare in divinis esse Filium, vel si baptizando in nomine Patris majoris, intenderet significare sensum destructivum mysterii sanctissimae Trinitatis, cujus sensum adstruivum Christus & Ecclesia intendit. Si autem haereticus nihil addat, vel dimi-



nuat formæ à Christo institutæ, sed cum debita intentione eadem utatur materiâ & formâ, quâ Catholica utitur Ecclesia, Sacramenti valorem non destruit error speculativus ipsius, quem vel solâ mente tenet, vel palâm exterius proficitur. Cùm baptizatos ab hæreticis, etiam Arianis (qui SS. Trinitatis mysterium negabant) rebaptizandos Ecclesia non censuerit (præter baptizatos à Paulianistis, seu Pauli Samoitanis discipulis, qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti non baptizabant) sed confirmandos duntaxat, ut videre est in Conciliis, Arelateni I. can. 8. Nicæno I. can. 19. Arelateni II. can. 17. Enimverò, ut Augustinus l. 3. de bapt. contr. Donat. c. 20. ait, *si evangelicis verbis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, Marcion Baptismum consecrabit, integrum erit Sacramentum, quamvis ejus fides, sub eisdem verbis, aliud opinantis, quam Catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata. Nam sub eisdem verbis, id est in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, non solum Marcion, aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, sed ipsi carnales parvuli Ecclesia (quibus dicebat Apostolus, non potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus) si possent singuli diligenter interrogari, tot diversitates opinionum fortassis, quot homines numerarentur.* Et lib. 6. c. 25. quis nesciat non esse Baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint. Sed facilius inveniuntur hæretici, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis baptizent.

49. Ut ergo discernas, quandonam mutatio substantialis contingat in forma Sacramentorum, scito cam quinque principaliter modis contingere posse. 1<sup>o</sup>. additione verbi, seu verborum, destruentium sensum verum formæ, quem Christus & Ecclesia intendit, ut si baptizando dicas, in nomine Patris majoris, vel consecres dicendo, hoc est corpus meum æreum. Quia *ly æreum*, alienat vocem *corpus* à propria significatione, sicut *ly majoris* alienat vocem *Pater* à significatione quam intendit Christus, & Ecclesia intelligit. Secus nonnullis eruditis videtur dicendum, si *ly æreum* non adderetur ad alienandam vocem *corpus* à propria significatione, sed ad exprimendum id quod profertur speculativè sentit de corpore Christi, sic tamen ut prædicè intenderet sensum Christi, si alius foret à suo. Et idem censent dicendum de voce *majoris*. Quod si Sacerdos in consecratione, postquam dixit, *hoc est corpus*, sentiens corporis vel animi molestiam, adderet, *o bone Deus*, statimque subjungeret, *meum*, sic ut diceret, *hoc est corpus (o bone Deus) meum*. Tam pauca verba, in ejusmodi circumstantia, moraliter à se invicem non sejungerent partes formæ. Secus, si liber ab omni molestia, uno tractu, & tono vocis id totum diceret. Censetur enim id totum dicere, tamquam pertinens ad formam.

50. 2<sup>o</sup>. substantialis mutatio formæ contingit diminutione, seu omissione alicujus vocis essentialis, ut si baptizetur in nomine Patris, & Filii, omitendo expressionem Spiritûs sancti. Ut enim Augustinus, n. 48. relatus, ait, *quis nesciat non esse Baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint.* Et manifestum est (inquit S. Thomas loco citato) quod si diminuat aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum. Et idè non perficitur Sacramentum. Ut si quis ita baptizare conetur, ut unum de prædictis nominibus prætermittat, scilicet Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.

51. 3<sup>o</sup>. substitutione unius vocis pro alia, si talis sit, quæ tollat sensum debitum. Quia, ut idem

sanctus Doctor ait q. 60. a. 7. ad 3. *si sit tanta corruptio, quæ omnino auferat sensum locutionis, non videtur perfici Sacramentum.* Pata, si loco ejus quod est in nomine Patris, dicas in nomine Matris.

4<sup>o</sup>. interruptione temporis inter partem & 52 partem formæ, si tanta sit, ut partes sic interruptæ moraliter non uniantur, nec faciant unam formam. Si enim sit tanta interruptio verborum (ait sanctus Thomas ibidem a. 8. ad 3.) quod intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur sensus Sacramenti, & per consequens veritas ejus. Non autem tollitur, quando est parva interruptio, quæ intentionem profertentis, & intellectum verborum non auferit. Ut si baptizans, postquam dixit, ego te baptizo, tussiret, vel de silentio adstantes merneret, ac deinde statim adderet, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Neque enim tam modica interruptio moraliter reputatur interruptio, sed reputatur quasi non esset. Nec proinde auferit sensum. Quem tamen auferret, si inter partem & partem formæ per semiquadrantem horæ tussiret. Quia tanta interruptio partes illas moraliter sejungeret.

5<sup>o</sup>. verborum transpositione, si tollat sensum locutionis. Tunc enim non perficitur Sacramentum, ut sanctus Doctor monet proximè post verba relata. Ut si dicat: Filii, ego te baptizo in nomine Patris, & Spiritûs sancti. Vel, in consecratione, meum est hoc corpus. Redderet enim hanc sensum: hoc corpus pertinet ad me. Ita Nicolaus Ylambertus 3. p. q. 60. a. 8. n. 7.

## CAPUT VIII.

*Peccat graviter contra religionem & charitatem, qui (extra cogentem necessitatem) sciens & volens, administrat Sacramentum cum materia, vel forma solum probabiliter valida, relicta ea, quæ certi valoris est.*

Medina 1. 2. q. 19. a. 6. dub. ult. alique 54 Probabilistæ apud Ildephonsum Baptismum 1. 2. tr. 3. disp. 208. docent, usum opinionis, etiam minus probabilis, & minus tutæ, æquè licitum in administratione Sacramentorum, non obstante periculo nullitatis, quàm in aliis materiis: ita ut neque contra religionem, neque contra charitatem peccet, qui, in praxi, sequitur opinionem, etiam minus probabilem, & minus tutam, de valore Sacramenti, relicta tutiore.

Sed quia ex valida administratione Sacramentorum Baptismi, & Ordinis Sacerdotalis, Episcopalisque, pendet salus æterna proximi, quem proinde à damnatione non liberaret usus opinionis Medinæ, si Sacramenta illa conferrentur invalidè (si enim contingeret Baptismum, & Ordinem Sacerdotalem invalidè administrari, infans invalidè baptizatus damnaretur, & Sacerdos invalidè ordinatus, invalidè absolveret, &c.) idè quidam alii Probabilistæ exceperunt duo ista Sacramenta, ad proximi salutem necessaria; quæ quia iterari non possunt, invaliditas insuperabilis est, & incompeniabilis. Non exceperunt autem Sacramentum Pœnitentiæ, quia tamen necessarium sit, interabile non est; idèdque si contingat illud unâ vice invalidè administrari, defectus ipsius per Sacramentum subsequens suppleri, compensarique potest. Hæc est igitur propositio ipsorum (prima ex 65. damnatis ab Innocentio XI.) Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilè de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetat lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabilè tantum usendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis. De qua

## Amor ad Deum per Sacramenta perducens. 9

qua propositione Romæ accusatus fuit R. P. Ignarius Maillot Soc. Jesu, qui dicitur eam in terminis docuisse in Theſibus Antuerpiæ deſenſis 56 anno 1673. Theſi 15. Quidquid de eo ſit, quilibet Author fuit damnatæ illius propoſitionis, voluiſſe videtur, non habendam rationem diſcrimini, cui Sacramentum exponitur, ſed ſolum attendendum eſſe, ne grande damnum, ſeu jactura ſalutis proximi ſequeretur. Si enim habendam voluiſſet rationem diſcrimini Sacramenti, non ſolum Sacramentum Baptiſmi & Ordinis excepiſſet: *tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, & Ordinis, &c.* (ſy enim tantum afficere verba ſequentia, non antecedentia, perſpicuum videtur ex contextu, & proximè ſubiſcendis ad illud) nec ſis excepiſſet generaliter aſſeruiſſet licitum, in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; ſed e contra id illicitum generaliter aſſeruiſſet, ne talem opinionem practicè ſectando, diſcrimini nullitatis Sacramentum exponeretur. Denique ex contextu damnatæ illius propoſitionis ſatis apparet, illius Authorem noluiſſe, ut exceptio quam appoſuit, *niſi veteres lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi*, generalem aſſertionem ſuam afficeret, niſi quatenus comprehendit Sacramenta Baptiſmi, & Ordinis Sacerdotalis, & Episcopalis; non verò quatenus comprehendit reliqua quinque Sacramenta: ipſumque proinde voluiſſe, quòd reſpectu horum, lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, generaliter non vetent adminiſtrationem illorum, ſecundum opinionem probabilem de valore, relicta tutiore. Id (inquam) ſatis apparet ex confeſſione quam inde deducit pro ſolis duobus Sacramentis Baptiſmi, & Ordinis: *hinc ſententia probabilis tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Si enim voluiſſet exceptionem ſuam idem concludere pro reliquis quinque; cur pro ſolis illis duobus confeſſionem deduxiſſet? Sed & idipſum apparet ex eo quòd ſi pro omnibus generaliter Sacramentis exceptionem illam procedere voluiſſet, vel illa ipſius exceptio, vel aſſertio generalis, cui eam appoſuit, inanis & illuſoria fuiſſet. Aſſertionem enim generalem exceptio talis evertiſſet, perinde ac ſi dixiſſet: *Non eſt generaliter illicitum, in Sacramentis ſequi opinionem probabilem, &c.* Id tamen generaliter illicitum facit *lex, conventio, aut periculum gravis damni*: cum tamen exceptio non inanis, nec illuſoria, generalem aſſertionem firmare debeat, non evertere, juxta regulam juris: *exceptio firmat regulam in contrarium.* Maniſteſtum proinde videtur, Authorem damnatæ illius propoſitionis voluiſſe, quòd exceptio illa, *niſi veteres lex, &c.* ſolum procederet in duobus Sacramentis, Baptiſmi ſcilicet & Ordinis Sacerdotalis, &c. non autem procederet in reliquis quinque. In quorum proinde adminiſtratione ſequi liceret opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, non obſtante periculo nullitatis, cui Sacramentum exponeretur; non obſtante item periculo fruſtrati effectus, cui proximus (Sacramentum taliter collatum recipiendo) exponeretur.

57. Paulo aliter Vaſquez 1. 2. diſp. 63. c. 2. Sayrus in Clavi regia 1. 1. c. 7. Sanchez, Granadus, Hurtadus, Becanus & alii cenſent, adminiſtrantem Sacramenta, ſive Baptiſmi & Ordinis, ſive alia, ſecundum opinionem minus probabilem, minusque tutam de valore, relicta tutiore, citra cogentem neceſſitatem, peccare quidem contra charitatem & juſtitiam (niſi ſuſcipiens Sacramentum cedat juri ſuo) ſed non contra religionem.

58. Sed pro certo tenendum, non ſolum peccare contra charitatem (exponendo proximum peri-

culo non mediocriſ damni ſpiritualis, ſeu jacturæ fructus ſpiritualis, quem perciperet, ſi Sacramentum validè adminiſtraretur) atque etiã contra juſtitiam (ſi ipſi ex officio incumbat cura anime proximi) verum etiã contra religionem, ſine cogente neceſſitate exponendo Sacramentum periculo nullitatis. Et 1. quidem ipſum peccare contra charitatem, imò & contra juſtitiam (in dicta hypoteſi) ſic oſtendo. Quia dum exponit Sacramentum periculo nullitatis, exponit proximum periculo fruſtrati effectus Sacramenti. Quem quantum in ſe eſt indemnem ex charitate ſervare tenetur; imò etiã ex juſtitia, ſi ſit Paſtor ipſius. Tunc enim proximus habet jus, ut à Paſtore ſibi Sacramentum miniſtreur eo modo, quo tuto poſſit effectum ipſius percipere. Nec Sacramenti Miniſter excuſatur ex hoc quòd Sacramentum ipſi conferat cum materia & forma probabiliter ſufficiente. Quia eo ipſo quo materia vel forma non eſt niſi probabiliter ſufficiens, non eſt certò, ſed incertò ſufficiens. Non eſt autem probabile, quòd Miniſter extra neceſſitatem uti poſſit materiã, vel formã incertã, quando Sacramentum conferre poteſt cum materia & forma certa. Sicut probabile non eſt quòd Medicus in curatione infirmi poſſit uti medicamento ſolum probabiliter & incertò ſufficiente ad curationem ipſius, quando ipſum curare poteſt cum medicamento certò ſufficiente. Sicut enim probabilitas ſufficientiæ medicamenti, efficere non poteſt, ut medicamentum reverã inſufficiens, ſit ſufficiens; ita nec probabilitas ſufficientiæ materiæ vel formæ, efficere poteſt, ut materia, vel forma, reverã inſufficiens, ſit ſufficiens, ſive ſupplere non poteſt defectum valoris ipſius, ſi reverã non ſit talis, qualem Chriſtus requirit ad valorem Sacramenti. Neque enim Sacramenti valor pendet à ſua opinione, neque à probabilitate ipſius, ſed à voluntate Chriſti, ſive ab eo quòd eam materiã & formã adhibeat, quam Chriſtus adhiberi vult.

2. quòd etiã peccet contra religionem, 59 demonſtrat 1. quia religio in Deum, Sacramentorum Authorem, non minus obligat Sacramentorum Miniſtros, ut caveant exponere Sacramentum periculo nullitatis, dum poſſunt; quàm charitas in proximum ipſos obliget, ut caveant exponere proximum periculo fruſtrati effectus, ſive jacturæ fructus Sacramenti, dum id cavere poſſunt.

2. quia Miniſter Sacramentorum, in eorum 60 miniſterio Chriſti perſonam ſuſtinet, Chriſti que legatione fungitur, utpote cujus nomine agit & loquitur. At verò non ſatis reverenter Chriſti perſonam ſuſtinet, qui verba Chriſti (id eſt primæ Veritatis) nomine prolata, ſine neceſſitate exponit periculo falſitatis & inanitatis. Quemadmodum Legatus non ſatis reverenter ſuſtinet perſonam Regis, ſi verba, Regis nomine prolata, tali periculo ſine neceſſitate exponat.

3. ſicut religio & reverentia divini nominis 61 prohibet nomen Domini aſumere in vanum; ſic & prohibet exponere ſe periculo aſſumendi nomen Domini in vanum. Multò ergo magis prohibet exponere ſe periculo aſſumendi illud falſò. Sed utriusque periculo ſe exponit, qui in miniſterio Sacramentorum exponit ſe periculo miniſtrandi Sacramentum irritum. Tum quia verba ſacramentalia proferendo, nomen Domini aſſumit: ea quippe nomine Domini proferit; ſicut nomine Domini baptizat, confirmat, confeſcat, abſolvit. Si ergo in vanum & falſò baptizat, confirmat, &c. nomen Domini in vanum & falſò aſſumit. Tum quia Sacramenta continent quendam divini nominis invocationem, & benediſionem ſuper materia Sacramenti, juxta illud 1. Cor. 10. *Calix cui benedicimus, nomine communicatio Sanguinis Chriſti eſt?* Unde Author libri de Eccleſiaſtica Hierar-

chia c. 5. formas Sacramentorum vocat, *invocationes consecratorias*. Ista verò invocatio periculo frustrationis, & falsitatis exponitur, dum ipsamet consecratio, seu Sacramentum, exponitur periculo nullitatis. Siquidem Sacerdos v. g. falsò dicit, *absolve te à peccatis*, si absolutio nulla sit; falsò dicit in persona Christi: *Hoc est Corpus meum*, si consecratio nulla sit. Exponit ergo formam consecratoriam, divini nominis invocatoriam, periculo falsitatis, eo ipso quo ipsam exponit periculo frustrationis.

62 4<sup>o</sup>. eadem virtus, quæ prohibet irrita facere Sacramenta, prohibet ea citra cogentem necessitatem exponere certo periculo irritationis; sicut eadem virtus, quæ prohibet occidere, vel stuprare proximum, &c. prohibet ipsum citra cogentem necessitatem exponere certo periculo occisionis, stuprationis, &c. Sed religio, & reverentia debita Sacramentis, sive eorum Authori, prohibet irrita facere Sacramenta: igitur & prohibet ea citra cogentem necessitatem exponere certo periculo irritationis. Cui exponitur, ipsum administrando cum materia, vel forma incerta, relicta certà.

63 5<sup>o</sup>. meritò arguitur irreverentià in Deum, qui in Dei cultu adhibet cæremonias probabiliter, vel probabilius profanas & gentiles, dum potest adhibere certò christianas & sacras. Et qui adorationi exponit hostiam probabiliter, vel probabilius non consecratam, dum exponere potest certò consecratam. Igitur & qui in ministerio Sacramentorum adhibet materiam, vel formam probabiliter, vel probabilius invalidam, dum adhibere potest certò validam.

64 6<sup>o</sup>. sacrilegus est, non solum qui formam consecrationis (id est *plena formidinis verba*, ut loquitur Trid. sess. 17. c. 7.) profert super ligno & lapide; sed & qui sciens & volens sine necessitate exponit se periculo eam proferendi super ligno & lapide. Pariter ergo sacrilegus est, qui sciens & volens sine necessitate exponit se periculo eam proferendi super materia non magis idonea consecrationi, quam sit lignum & lapis.

65 7<sup>o</sup>. sicut zelus salutis animarum, & charitas in proximum; sic & religio in Deum jubet, ut (quoad fieri potest) in ministerio Sacramentorum incertis certa præferantur, juxta magistralem hanc Augustini regulam: *tene certum, dimitte incertum*. Homil. 41. inter 50. nunc firm. 393. Item *graviter peccat in rebus ad salutem anime pertinentibus, vel eo solo, quòd certis incerta præponit*. L. 1. de Bapt. contra Donatist. c. 3.

66 Jure proinde meritissimo S. D. N. Innocentius XI. damnavit propositionem n. 55. memoratam, damnandoque declaravit, eam non esse practicè probabilem, certumque proinde esse, quòd peccet, qui in Sacramentis conferendis sequitur opinionem probabilem de valore illius, relicta tutiore, etiamsi Sacramenta quæ confert, non sint tam necessaria ad salutem, quam sunt Baptismus, & Ordo Sacerdotalis, aut Episcopalis; tamen etiam ablit specialis lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, solumque proinde ad sit periculum nullitatis Sacramenti. Ex qua declaratione consequens est, Ministrum taliter conferentem adhuc peccaturum contra religionem, etiam casu dato, non concessio, quòd non peccaret contra charitatem. Contra quam tamen semper peccat, qui Sacramenti fructu (quod magnum semper bonum est) sciens & volens proximum privat, vel privationis illius periculo, absque cogente necessitate, ipsum exponit.

67 Dixi semper, *absque cogente necessitate*. Ubi enim spiritualis necessitas proximi exigit sine mora Sacramentum administrari, nec adeit certa materia, sed probabilis dumtaxat, mavul; Deus in tali

necessitate succurri proximo, cum Sacramentorum periculo, quam proximum desitui omni remedio; sive mavul, Sacramentum suum periclitari, quam salutem proximi. Cui proinde succurri vult, quantum fieri potest, adhibendo probabilior, tutioremque materiam, quæ adhiberi potest. Cum enim pro salute hominum instituta sint Sacramenta, quando simul vitari nequeunt periculum Sacramenti, periculumque salutis proximi, magis providendum est (quantum hic & nunc fieri potest) securitati salutis proximi, quam Sacramenti. Videri possunt Augustinus c. 1. de adulterin. conjug. c. 26. & 28. & S. Leo epist. 37. c. 1. & 2. ubi docet, Baptismus dubium, & non nisi probabiliter validum, administrandum esse in casu necessitatis, in quo certitudo haberi non potest: *ne dum plus justo metuitur, misericordia Dei salvari cupientibus donegetur*.

## CAPUT IX.

Occurritur argumentis, quæ obijciuntur adversus dicta capite precedenti.

Obijcies 1<sup>o</sup>. non apparet ratio, ob quam in ministerio Sacramentorum minus liceat sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, quam in qualibet alia materia. Quòd enim in ministerio Sacramentorum, sequendo probabilem opinionem de valore, relicta tutiore, subit aliquod periculum, ne fiat irritum Sacramentum; non cogit eo in ministerio tutiorem partem eligere, potius quam alibi. Ubi enim ratio probabilis asserit, non fieri irritum Sacramentum, probabile est Sacramentum eo modo rectè administrari. Rectè quippe administratur, ubi secundum rationem probabilem administratur.

Respondeo, quidquid sit in alia materia (quæ de re to. 1. satis diximus) rationem multiplicem capite precedenti esse productam, ob quam id non licet in ministerio Sacramentorum. Neque enim licet formam sacramentalem, Christi & primæ Veritatis nomine prolata, sine necessitate exponere periculo vanitatis, & falsitatis. Quòd periculum quia non abstergit probabilitas opinionis de valore, probabile non est, quòd liceat probabilitatem istam sequi, neglecta certà vià, quæ dicto periculo potest occurrere. Sicut ex hoc quòd probabile sit, hoc vel illud medicamentum lethalius infirmo profuturum; quia tamen probabilitas ista non abstergit periculum in contrarium, probabile non est quòd liceat probabilitatem istam sequi, neglecto medicamento certò profuturo, quo periculo mortis infirmi potest occurrere. Quamvis ergo ratio probabilis asserat non fieri irritum Sacramentum: non sequitur esse probabile quòd sequi liceat probabilitatem istam, dum alia ratio probabilis ex adverso asserit fieri irritum Sacramentum, & periculo illius irritationis occurrere potest, adhibendo viam certam. Neque enim majori prudentià periculo irritationis Sacramentum exponitur, dum periculum istud vitari potest, quam infirmus exponatur periculo mortis, dum periculum istud vitari potest. Et sicut ubi ratio vel auctoritas probabilis aliquorum Medicorum asserit potum esse venenosum, tamen ratio vel auctoritas probabilis aliorum Medicorum asserat potum non esse venenosum, tanta imprudentia foret potum istum bibere, vel propinare, neglecto potu sanitatem, non mortem, certò allaturo, ut nullus Probabilista (nisi fortè læti sinepitis) adduci posset ad bibendum; ita similiter, &c.

Obijcies 2<sup>o</sup>. ex eo præcisè quòd subit aliquod periculum, ne fiat Sacramentum irritum, nulla equidem irreverentià nec injuria fit Sacramento,

dem secundum opinionem probabilem administratur. Cum ex una parte Sacramentum prudenter credatur habiturum effectum; ex alia parte si non habeat, Deo (nostris non indigenti) nullum damnum accretat; neque Sacramentum magis capax sit damni, quam emolumenti, ex eo quod reverè valide vel invalidè fiat. Deus proinde in Sacramentis à Ministro nihil aliud exigit, nisi ut inculpate procedat, dum Sacramentum administrat. Inculpate verò procedit, dum secundum rationem probabilem procedit.

Respondeo negando antecedens. Ad ejus probationem. Respondeo, imprimis non prudenter credi habiturum effectum, si æque, vel magis probabile sit non habiturum effectum. Deinde ex hoc quod Deo & Sacramentum damnum nullum accretat, non magis inferri potest, nullam in Deum, nec in Sacramentum irreverentiam committi per administrationem Sacramenti probabiliter, vel probabilis invalidam, quam inferri queat, nullam in Deum, nec in Sacramentum irreverentiam committi per illius administrationem certè invalidam. Quasi verò tunc solum in Deum, vel Sacramentum irreverentia committeretur, cum Deo, vel Sacramentum damnum verè inferretur. Quod si verum esset, qui manducat carnem, vel bibit calicem Domini indignè, reus non esset corporis & sanguinis Domini: cum nec Deo, nec Sacramentum damnum sacrilegè sumptione inferat. Idèò autem, eo non obstante, irreverentia in Christi corpus & sanguinem committitur: quia, sicut Angelicus Doctor ait 2. 2. q. 99. a. 1. ad 3. *Secus honor est in honorante, non autem in eo qui honoratur*, ut dicitur in 1. Ethicorum; *ita etiam irreverentia est in eo qui irreverenter se habet, quamvis nihil noceat ei, cui irreverentiam exhibet.* Quamvis ergo est in ipso, rem sacram violat, licet ea in se non violat. Non itaque Minister eo ipso Sacramentum inculpate administrat, quo administrat secundum opinionem probabilem de valore, neglectà vià certà. Cum ex reverentia Sacramentum debita, teneatur vià certà valori ipsius confidere, si queat, cavereque periculum invaliditatis, quantum in se est. Ad quod etiam adèò tenetur ex lege charitatis erga proximum, atque ex ordine amoris, ut eo ipso graviter peccet, quod in rebus ad salutem, atque incens animarum bonum pertinentibus, certis incerta præponit.

CAPUT X.

*Solis hominibus, non Angelis, data est à Christo potestas Sacramenta conficiendi, & administrandi. In quorum tamen ministerio, solus Christus est Minister principalis.*

70 *Solis hominibus, non Angelis, datam à Christo potestatem, colligitur ex Scriptura. Christus namque hominibus, non Angelis dixit: Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c. Solis hominibus, non Angelis dixit: Hoc facite in meam commemorationem. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. Nec Angelis, sed hominibus scriptum est: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros, &c. Telle denique Apostolo Hebr. 5. Omnis Pontifex ex hominibus, non ex Angelis, assumptus, pro hominibus constituitur in iis que sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.*

71 *Utitur tamen aliquando extraordinarè Deus, pro conferendis Sacramentis, ministerio Angelorum illorum, quos idem Apostolus ibidem c. 1. vocat administratores spiritus, in ministerium missos, propter eos qui hereditatem capiunt salutis.*  
Tom. III.

Nec tunc dubitandum de valore Sacramenti, si- cut nec de veritate corporis Christi, quod Sordemenus Histor. Eccl. l. 6. c. 29. commemorat ab Angelo ministratum Marco Eremita. Neque de veritate valoreque ordinationis S. Amphilo- chii, in Episcopum Iconii, ab Angelis facta, mysticè & arcanè benedictione. De qua Nicephorus Cal- listus l. 11. c. 20. narrat, quod cum Episcopi, longo post tempore, ad eum eligendum ordinan- dumque convenissent, ubi ex eo cognoverunt ab Angelis Dei consecrationem eum accepisse, datà de tam sacra & divina gratia Deo gloria, ut Pontifi- ficem Dei cum timore & reverentia hominem ad- mittere, & solitè salutatione, atque osculo imperiti- so, ea que Episcopalis functionis sunt, administra- re & exequi permisere.

Sed Deus ad hoc nunquam usus legitur mini- sterio Angelorum malorum. Et nefas est cogitare, tantam esse societatem lucis ad tenebras, con- ventionemque Christi ad Belial, ut tam sacrum tremendamque ministerium ipsis commiserit. A- bominanda proinde est doctrina Lutheri lib. de miss. privat. ubi scribere non veretur: *Ego non dico quod Papiæ dicunt, nullum Angelorum, nec Mariam quidem ipsam, consecrare posse. Sed econ- trariò dico: si diabolus ipse venires, & ego postea resisterem, diabolum sic irrepisse in officium Pasto- ris Ecclesie, in specie hominis vocatum ad prædi- candum, & publicè in Ecclesia docuisse, baptizasse, celebrasse Missam, & absolvisse à peccatis, & tali munere functum esse juxta institutionem Christi, tunc cogereur fateri, Sacramenta idèò non esse inefficacia, sed verum Baptismum, verum Evan- gelium, veram absolutionem, verum Sacramentum corporis & sanguinis Christi accepisse.*

Tamen verò Sacramenta conficiendi conferen- dique potestatem Christus hominibus contulit; non idèò homines constituit principes Sacramen- torum Ministros, sed principale ministerium sibi soli reservavit. Minister enim principalis ille est, cujus nomine, vice, & Persona totum sacramen- tale negotium geritur. Non geritur autem nisi nomine, vice, & in Persona Christi. Ipse proinde est qui principaliter baptizat, confirmat, sacri- ficat, consecrat, absolvit, &c. juxta illud Joan. 1. *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Quæ ver- ba explicans Augustinus tr. 6. in Joan. *Hic est (inquit) qui baptizat in Spiritu sancto. Petrus baptizat: hic est qui baptizat. Paulus baptizat: hic est qui baptizat. Judas baptizat: hic est qui baptizat.* Et tr. 5. explicans hæc verba Joannis Baptiste: *Vidi Spiritum descendentem quasi colum- bam de caelo, & mansit super eum. Et ego nescie- bam eum. Quid in eo non noverat (inquit) tan- tam potestatem baptismatis ipsum Dominum habi- tarum, & sibi retenturum, sive præsentem in ter- ra, sive absentem corpore in caelo, & præsentem Majestate sibi retenturum baptismatis principaliter conferendi potestatem, ne Paulus diceret, bap- tismus meus. Idèò... nemo Apostolorum dixit, bap- tismus meus. Aliud proinde est baptizare per mi- nisterium, quod Christi hominibus contulit: aliud baptizare per potestatem, sive proprio no- mine: Quod quia designat principalem Mini- strum, Christus sibi reservavit. Illius quippe bap- tisma est in cujus nomine datur, inquit Aug. 3. contr. Crescon. 11.*

Idèòque Apostolus 1. Cor. 1. Corinthios redar- guit, quod unusquisque diceret: *Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollonis: ego verò Cephe: ego au- tem Christi. Divisus est Christus? ... Aut in no- mine Pauli baptizati estis?*

Et hinc virtus & efficacia Sacramentorum non est ex opere operantis hominis, sed ex opere ope- rato Christi, ut idem Augustinus dicit in loco proxime relato. Et lib. 2. contra Parmen. c. 14.

cum Parmenianus contenderet, Ministrum improbum conferre non posse Sacramentum: *Nunquam enim (inquit) divina legis censura patitur, ut vivificare quemquam mortuus possit, curare vulneratos, illuminare caecos, vestire nudos, & mundare pollutos.* Respondet, quod non homo minister, sed Christus Dominus per Sacramenta suscitavit mortuos, Dominus curat vulneratos, Dominus illuminat caecos, Dominus vestit nudos, Dominus mundat pollutos.

## CAPUT XI.

*Ad validam Sacramentorum consecutionem necessaria non est fides, nec probitas Ministri; necessaria tamen est interna voluntas ipsius, qua intendat quod facit Ecclesia, facere utique Sacramentum.*

76 **N**ec fidem, nec probitatem Ministri ad hoc necessariam esse, traditio est totius Ecclesiae, quae ideo non rebaptizat, ab haereticis, vel improbis Ministris baptizatos. De qua traditione S. Stephanus Papa testimonium perhibuit, dum S. Cypriano hac in causa scripsit: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*, apud Cyprian. epist. 74. Et ratio petitur ex dictis cap. precedenti. Siquidem Christus est Minister principalis Sacramentorum. Actio vero Ministri principalis irrita non redditur per infidelitatem, nec per improbitatem sententis boni Iudicis irrita non redditur per vocem mali praeconis.

77 Siquis objiciat 1<sup>o</sup>. canones 46. & 47. Apostolorum in contrarium. 2<sup>o</sup>. illud Proverb. 15. *Sacrificia impiorum execratio est Domino et Ecclesiae.* 34. *Dona iniquorum non probat Altissimum.*

Respondet certissimum esse ex allato testimonio S. Stephani, canones illos spurios esse, non Apostolicos. Unde nec illos unquam pro suo errore Cyprianus allegavit. Quod alioqui fecisset. Ex allatis vero sacris textibus totum consequens est, quod Sacramenta ab haereticis, & improbis confecta, nec Deo accepta sint ex opere operantis, nec valorem suum, & dignitatem obtineant ab ejusmodi Ministro instrumentali, sed tantum a Christo, tamquam Ministro principali. Ut enim Augustinus l. 2. contra Parmen. c. 6. *non est iniquus Christus, qui pro nobis seipsam obtulit.*

78 Unde Hieremias, Patriarcha Constantinopolitanus, Wittembergensibus scribens, ex sensu Ecclesiae Orientalis, dicit, *etiam per improbos & indignos Ministros Sacramenta recte confici. Ipsos quidem Ministros nihil illis adjuvari; imo maxime inde damno affici. Eos tamen qui per manus eorum ita Sacramenta accipiunt, eandem nihilominus utilitatem percipere, ac eodem plane modo sanctificari. Dei autem gratia per indignos Ministros operatur, & ipsa perficit Sacramenta omnia.*

79 Ad hoc tamen ut valida sint Sacramenta, ab haereticis, improbis, vel aliis quibuscumque Ministris confecta, necessaria est in ipsis voluntas interna faciendi quod facit Ecclesia. Proflus enim rejiciendus est error Lutheri apud Bellarminum l. de Sacram. c. 28. dicentis: *Sacramenta posse conferri ab ebrio, imo etiam a picea.* Proflus (inquam) rejiciendus, non solum quia actus administrandi Sacramenta est actus proprie humanus, cujus incapaces sunt ebrii & picea: verum etiam quia Florentinum in instructione Armenorum, & Tridentinum sess. 7. can. 11. ad conficiendum Sacramenta requirunt in Ministris *intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia.* Quod haud dubie intelligunt de intentione interna, sine qua vere intendere non possunt quod facit Ecclesia. Vera siquidem intentio, actus est internus.

Nec minus rejiciendus est alter error Lutheri 80 lib. de captiv. Babil. dicentis, *quidquid credimus nos recipere (dum Sacramenta recipimus) vere recipere, quidquid faciat, vel non faciat, simulat, vel jocetur Minister.* Hic est enim error, contra quem (teste Pallavicino l. 9. cap. 6. n. 3.) vibratus fuit Canon 11. Concilii Tridentini sess. 7. *Siquis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.*

Fide proinde certum est, in Ministro Sacramentorum, necessariam esse intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Nec de eo controversia est inter Catholicos. Sed de eo solum controversia nuper fuit, quid importet requisita intentio faciendi quod facit Ecclesia? An solum voluntatem ferri peragendi ritum externum, sive adhibendi materiam & formam, quam adhibet Ecclesia? An vero importet voluntatem faciendi Sacramentum?

Primam voluntatem, seu intentionem sufficere 82 re, plures & graves Doctores, Veteres & Recentiores docent, videlicet (praeter Paludanum & Sylvestrum) Catharinus Opuic. de intentione Ministri, Salmeron to. 13. disp. 2. Marius Scribonius, Doctor Gallus, in sua Panathia. Contenson. to. 7. differt. 2. in Appendice, Franciscus Farvacquez Opuic. de Sacram. in genere cap. 6. q. 3. Florentius de Cocq. to. 3. tr. 7. art. 3. conclus. 4. Joan. Bapt. du Hamel to. 6. tr. de Sacram. differt. 2. cap. 4. pro opinione sua recententes Augustinum, Innocentium IV. & S. Thomam. Sed perperam, ut infra patebit.

Dicendum ergo (cum communi sententia) 83 secundam voluntatem, seu intentionem, non quidem explicitam, seu expressam, sed saltem implicitam & confusam esse necessariam, sic ut tamen necessarium non sit expresse cogitare de faciundo Sacramento, nec credere quod per talem actionem fiat Sacramentum; imò Sacramentum conficere possit, qui contrarium expresse credit; necessarium tamen sit velle facere, quod Christus instituit, vel saltem id quod facit gens seu natio Christianorum, dum ritum illum externum ferri ponit. In hac quippe confusa voluntate, implicitè involvitur voluntas faciendi Sacramentum, tamen haereticus, vel paganus, vel atheus involvi non potest.

Hanc nostram communemque sententiam 84 tantum aliqui esse de fide, oppositamque Catharini, Salmeronis, & aliorum n. 82. relatorum esse damnatam a Concilio Tridentino. Sed verius est à Tridentino solum damnatam esse sententiam Lutheri n. 80. exhibitam, sicut & eam quam Leo X. in Bulla contra Lutherum damnavit, videlicet, *Sacramentum validum esse, etiamsi verba à Ministro irrisorie & jocosè dicantur.* A quo errore procul abstunt Catholici Doctores, quos num. illo 82. protulimus. Utopote qui non solum exigunt voluntatem ponendi ritum externum quomodocumque (quae voluntas est in homine iudicè Sacramentum administrante) sed voluntatem eam ponendi ferri, sive eo externo modo, quo Ecclesia ponit.

Et verò Tridentinis Patribus propositum fuit 85 abstinere à damnandis opinionibus Catholicorum Doctorum, solasque haereticas damnare, non sententias Catholicorum. Et si Catharini sententiam Tridentini Patres damnassent, nunquam commississent (ait Pallavicinus loco citato) ut per communes acclamationes ipsum ad Episcopatum promoverent; neque is qui tunc Synodo Legatus praerat, postea Pontifex Maximus, nobiliori hominem Thiarà exornasset: cumque excitata fuisset litteraria quadam contentio inter Catharinum, & S. Palaui Apostolici Magistrum, Pontificem Leo-

gati non rogassent, ut Palatii sui Magistrum mone-  
ret de abstinendo ab omni molestia Catharino  
inferenda, cujus vita & doctrina ab omnibus erat  
commendata.

86 Sed tamen sententia Catharini, & sequacium,  
non fuit damnata per Tridentinum, eam ideo  
reiciendam censens, quia natura, valor & ef-  
ficacia Sacramentorum pendet à libera voluntate  
Christi influentis: quæ cum per se immediate  
nobis non innotescat, nobisque proinde innotescere  
debeat per aliquod medium; nec medium istud sit  
sola humana & philosophica ratio (utpote  
medium insufficienti ad notificanda nobis ea quæ  
supra humanam & philosophicam rationem sunt)  
superest ut medium istud sit vel Scriptura sacra,  
vel traditio, cujus indices sunt, Concilia, Pon-  
tifices, Patres, & argumenta inde deducta. Sed  
ex his argumentum lumitur pro nostra sententia,  
& non pro sententia Adversariorum. Si enim vera  
esset sententia Adversariorum, consequens esset,  
valere baptismum collatum à Ministro, qui omnem  
ritum externum formamque baptizandi serio  
(quantum seire fas est homini, non intuenti cor,  
sed ea quæ exterius parent) observat, & obser-  
vare vult, tamen in corde suo apud se diceret:  
*Tamen velim serio, quoad externam apparentiam,  
observare ritum Christianorum, non intendo tamen  
quod facit Ecclesia, sed potius intendo Ecclesiam,  
Christum. Et Christianos irridere.* Quod ne ipsi  
quidem Adversarii dissentent; imò expressè fate-  
tur Farvacquius loco citato in decisione casus 1.  
& ibidem §. 6. in respons. 1. ad object. 2. ex S.  
Thoma. Siquidem in prior loco declarat, vale-  
re Sacramenta, collata à Paroco atheo, qui so-  
litus erat in Sacramentorum administratione ex-  
actissime servare formam Ecclesie, tam quoad  
essentialia, quam quoad accidentalia; apud se ta-  
men, priusquam ullum Sacramentum administra-  
ret, consueverat dicere: *Nolo facere quod facit  
Ecclesia, nolo baptizare, consecrare, absolvere;*  
&c. In posteriore vero loco, cum sibi objecisset  
S. Thomam 3. p. q. 64. a. 10. dicentem: *Intentio  
Ministri potest perveris dupliciter, uno modo res-  
pectu ipsius Sacramenti, puta cum aliquis non inten-  
dit Sacramentum conferre, sed derisorie aliquid age-  
re. Et talis perveritas tollit veritatem Sacramen-  
ti, præcipue quando intentionem suam exterius ma-  
nifestat.* Respondet, S. Thomam non agere de  
irritatione merè interna, conaturque ex S. Thoma  
periuadere quod valeat baptismus collatus ab in-  
fidei, quamvis non solum existimet, totum quod  
agitur nihil esse, sed & in animo totum irridere.

87 Verum enim vero consequens illud non vide-  
tur admitti posse, non solum quia nimis accedere  
videatur ad damnatum errorem Lutheri, sed &  
quia damnatum videtur ab Alexandro VIII. qui  
inter 31. propositiones, hanc 28. proscripsit: *Valet  
Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum  
externum, formamque baptizandi observat. Intus  
vero in corde suo apud se resolvit: non intendo  
quod facit Ecclesia.*

88 Et (si consequens istud admitti posset) ulte-  
rius consequeretur, Sacramentum validè confici  
ab eo, qui serio quidem, quoad exteriorem appa-  
rentiam, perageret totum ritum externum, quo  
Ecclesia uti solet; sed interius non serio, sed jo-  
co id totum perageret, ita ut sic haberet volun-  
tatem serio in oculis hominum adhibendi mate-  
riam & formam, ut tamen apud se in corde suo  
diceret: *Sic volo exterius, in oculis hominum, se-  
rio ritum illum peragere, ut interius, in oculis  
Dei, non serio id velim, sed jocari.* Id enim probant,  
siquid probant, argumenta Adversariorum,  
maximè præcipuum, quod petunt ab inconveni-  
entibus, quæ ex sententia nostra necessariò se-  
qui putant. Si enim sententia nostra vera sit

(inquit) fideles nunquam adipisci poterunt  
quietem conscientiarum suarum, neque extricare  
se ab inquietudinibus, anxietatibus, & scrupu-  
lis, ex eadem sequi natis. Quia nunquam habe-  
re poterunt certitudinem de valore Sacramento-  
rum à se receptorum, si aliud ad eorum valorem  
ex parte Ministri necessarium sit, quam servare  
ritum in Ecclesia solitum. Ad quod inconve-  
niens vitandum, putant, antiquos Patres hoc u-  
num circa valorem Baptismi, ab hæreticis col-  
lati, inquisisse, an servasset formam Ecclesie,  
vel Sacramenti. De intentione vero conferendi  
Sacramentum, non leguntur fuisse solliciti. Quod  
si ad vitandum dictum inconveniens, procuran-  
damque pacem & securitatem conscientiarum,  
non aliud inquirendum sit, nisi an servata sit ex-  
terius forma Ecclesie vel Sacramenti, nec oportet  
sollicitos esse de alia intentione, an in corde  
suo jocum, non Sacramentum intenderit, qui il-  
lud contulit: palam est pro valido habendum  
Sacramentum, in cujus collatione serio quidem,  
quoad exteriorem apparentiam, servata fuit forma  
Ecclesie, vel Sacramenti; at interius non serio,  
sed joco. Hoc autem ne ipse quidem Farvac-  
quius admittit, sed ex parte interne voluntatis in  
Ministro requiritur (inquit) serio, & non joco-  
laris consensus in ritum, formamque, per quam scilicet,  
quod Ecclesia intendit præbere Sacramentum. Pro-  
batque 1.º ex Concilio Tridentino sess. 14. c.  
6. ubi dicitur, non valere absolutionem, si Sacer-  
doti animus (quo nomine haud dubie internam  
significat voluntatem, seu intentionem) serio agen-  
dis, & verè absolvendis desit. Et can. 9. non sufficere  
ad absolutionem sacramentalem, si Sacerdos  
non serio, sed joco absolvas. 2.º quia qui non se-  
rio, sed joco administrat exteriorem ritum, for-  
mamque Sacramenti, non habet intentionem ef-  
ficacem faciendi quod facit Ecclesia, sed irriden-  
di, subannandique, &c. Credibile verò non est,  
Ecclesiam velle cooperari actionibus, quibus ip-  
samet ludibrio & contemptui habetur.

Hactenus Farvacquius, optimè quidem. Sed ex 89  
hac veritate perspicuum esse videtur, Ecclesiam  
de alia sollicitam esse interna voluntate, seu in-  
tentione, quam adhibendi exterius ritum, quem  
ipsa adhibet. Siquidem ritus iste adhiberi potest,  
exterius quidem serio, sed interius joco, nec a-  
nimo faciendi Sacramentum, sive efficaci in-  
tentione baptizandi, consecrandi, absolvendi, &c.  
sed Ecclesiam irridendi, subannandi, &c. At  
verò cum aliquis non intendit Sacramentum con-  
ferre, sed derisorie aliquid agere, talis perveritas  
tollit veritatem Sacramenti, ait S. Thomas num.  
86. reclarus.

90 Probatum itaque sententia nostra 1.º ex Con-  
cilio Florentino & Tridentino, requirentibus ut  
Minister intendat facere quod facit Ecclesia. Ar-  
qui Ecclesia non intendit tantum exterius abue-  
re, seu serio (quoad exteriorem apparentiam) fa-  
cere actiones sacramentales, materialiter & phy-  
sicè sumptas, sed eas intendit formaliter & mor-  
raliter ut Sacramentum, illasque reverà sic facit.

Confirmatur: quia dum Florentinum, ultra  
materiam & formam, postulat intentionem facien-  
di quod facit Ecclesia, aliam intentionem postu-  
lat, quam ponendi materiam & formam, utpote  
incluam in voluntaria positione materie & for-  
mæ: postulat ergo intentionem faciendi Sacra-  
mentum: cum præcipuum quod Ecclesia inten-  
dit ponendo materiam & formam, sit Sacramen-  
ti confectio, & intentionem faciendi quod facit  
Ecclesia, accuratè distinguat à positione materie  
& formæ, quam nemo ponit nisi volens; nemo  
proinde sine voluntate, seu intentione ponendi.

2.º si ad verificandam intentionem faciendi  
quod facit Ecclesia, quam requirunt Florentinum

& Tridentinum, sufficeret velle serio (quoad apparentiam externam) ritum externum, materialiter & physice sumptum, sequeretur impium, hæreticum, atheum, habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, dum ritum externum poneret, & voluntarie poneret, serio quidem in oculis hominum, five quoad apparentiam externam, interius tamen, & coram oculis Dei, non serio, sed merè joco, & merè ad deridendum Ecclesiam, & Christum. Ob ea quæ dixi n. 88. Sed hoc dici non posse, effeque nimis propinquum errori Lutheri, & contra doctrinam Concilii Tridentini, constat ex dictis tam numero illo 88. quam numero 86.

92 3<sup>o</sup>. ex sacris testimoniis habemus id non sufficere in nonnullis Sacramentis. Ex quibus ad reliqua rectè arguitur, cum eadem vel similis urgeat ratio. Imprimis non sufficere intentionem ponendi ritum externum, materialiter & physice sumptum, ad conficiendum Pœnitentiæ Sacramentum, habemus ex verbis istis evangelicis ad Ministros istius Sacramenti: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* Neque enim censetur is remittere, qui verba remissionis, sine interna remittendi voluntate, merè materialiter & animo ficto pronuntiat, in corde potius intendens jocum & derisionem, vel simulationem, quam remissionem. Nec qui sic remitteret, quæ proximus in ipsum peccavit, in oculis Dei intuentis cor remittere censetur. Nec talis censetur remittere ut Judex, Deique Legatus (qualis est per verba illa constitutus) siquidem actus & sententia Judicis, si ex vero & serio animo non procedat, sed ex fitione & animo simulandi, vel jocandi, aut deridendi, nulla est; uti nulla lex absque voluntate obligandi, uti Theologi & Juristæ concorditer docent. Nec magis valida absolutio sacramentalis Judicis in forma deprecatoria uti olim conferebatur, & adhuc hodie (sæpente Farvacquo) valide confertur. Neque enim vera deprecatio esse potest, si interius deprecari nolis, sed jocari.

93 4<sup>o</sup>. similiter ex sacris Litteris habemus, quòd Sacramentum Extreme Unctionis non conficiatur solâ voluntariâ prolatione formæ illius, sed ad id necessarius sit internus orandi animus. Cum, Jacobo Apostolo teste, Sacramentum istud administraretur oratione Sacerdotis pro infirmo. Oratio verò externa, sine interno orandi animo, oratio non est. Sine interno proinde orandi animo Extreme Unctionis Sacramentum ab hæretico vel atheo Sacerdote validè non confertur.

94 5<sup>o</sup>. simile de Matrimonio argumentum habemus ex divina Scriptura, sacris Canonibus & SS. Pontificum declarationibus. Siquidem *causa efficiens matrimonium*, juxta Florentinum, est *mutuus consensus*. Quod & indicat Apostolus 1. Cor. 7. dicens: *Cui vult nubat.* Matrimonium quippe solo consensu contrahitur, cap. *cum locum* de sponsal. Nec sufficit quòd contrahentes ore, sed oportet quòd & corde consentiant, cap. *duobus* de sponsa duorum. Nec sufficit nudus internus consensus in id quod verba significant, ut à simili patet in aliis contractibus, qui non perficiuntur solâ verborum prolatione, tamen si voluntariâ & seriâ, si equidem ficta sit, (tamen si fitione parè interna) id est absque interno animo contrahendi. Fictè namque initus contractus non est verus, uti to. 2. ostendimus. Proinde si verba, quibus matrimonium contrahi solet, libero, & (quantum exterius apparet) serio consensu protuleris, nihil equidem in oculis Dei conficies, si fictè & sine interna contrahendi intentione procelleris. Quia cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire; non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem, cap. *in his* de verb. signif. Et idèd, propositâ questione de sponsa

tione fictè celebrata, five in qua contrahendi propositum vir non habuerat, Innocentius III. cap. *ita nos* de sponsalib. & matrim. respondet, *quid juris sit rescribentes, dicimus, quòd si res ita se habet, videlicet quòd ille, eam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in eam personam, non debet ex illo facto conjugium judicari: cum in eo nec substantia conjugalis contrahatur, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri. Quoniam ex altera parte dolus solummodo adfuit, & desuit omnino consensus, sine quo cetera nequeunt sedus perficere conjugale.* Et cap. *itaas* de sponsa duorum: *si solus (consensus) desuerit, cetera, etiam cum ipso costu celebrata, frustrantur.* Et ratio est, quia id cuius dominium habeo, in alterum transferre non possum, sine mea voluntate. Cum ergo per contractum matrimonialem, una pars in alteram transferat dominium, seu potestatem sui corporis, translatio ista sine consensu ipsius fieri nequit. Quæ ratio sicut probat pro contractu, sic & pro Matrimonio Sacramento: utpote quod absque contractu subsistere nequit. Imò probat pro omni contractu, quo dominium transfertur. Omnis quippe res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur. Sed ad acquirendum dominium non sufficit actus externus, quo ostendo me velle dominium acquirere, si interius habeam voluntatem contrariam, utique non acquirendi. Similiter ergo ad dissolvendum, five transferendum dominium, non sufficit actus externus, quo significo me dominium transferre velle, si interius habeam voluntatem contrariam, utique non transferendi. Et idèd Clemens VIII. (apud Basilium Pontium l. 4. de matrim. c. 24. num. 4.) respondens ad casum nobilis femine, exponentis, se animo dissentientem viro nupsisse, declaravit, necessarium esse novum consensum, admonito prius marito de matrimonii nullitate.

6<sup>o</sup>. quando aliquid se habet indifferenter ad multa, oportet quòd per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat (ait S. Thomas 3. p. q. 64. a. 8.) Ea verò que in Sacramentis exterius aguntur, habent se indifferenter ad multa. Quia possunt diversimodè agi; sicut ablutio aquæ, que fit in Baptismo, potest ordinari & ad mundiciam corporalem, & ad sanitatem corporalem, & ad ludium, jocum, & derisionem, & ad multa alia hujusmodi. Et idèd oportet quòd determinetur ad unum, id est ad sacramentalem effectum, five ad efficiendum Sacramentum, per intentionem abluentis. Sed non determinatur ad unum, videlicet ad efficiendum Sacramentum per solam intentionem faciendi actionem, seu ablutioem. Hæc enim diversimodè agi potest, & ordinari ad multa, uti sanctus Doctor observavit. Neque per sola verba addita ablutio, five per exteriorem formam Sacramenti: utpote quæ etiam potest diversimodè proferri, & ad multa ordinari, vel scilicet ad conficiendum Sacramentum, vel ad jocum, vel ad derisionem, vel ad simulationem, &c. Igitur ad perficiendum Sacramentum determinari debet per intentionem faciendi Sacramentum. Quæ quidem intentio exprimitur per verba, quibus continetur forma Sacramenti, quando animo serio, non ficto, nec derisorio proferuntur. Et hoc est quod sibi vult S. Thomas, dum post verba proximè relata dicit, quòd *hæc intentio* (faciendi scilicet Sacramentum) *exprimitur per verba, quæ in Sacramentis dicuntur.* Sed, ut idèd S. Doctor ait ibidem a. 10. ad 3. *intentio ludica vel jocosa, in animo concepta (& idèd est de intentione fingendi) excludit veritatem intentionis, per quam perficitur Sacramentum.* Siquidem, ut ibidem dixerat in corpore, cum aliquis, adhibendo materiam, & proferendo formam, non intendit Sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere, talis

valis perverſitas tollit veritatem Sacramenti; præcipue quidem, quando ſuam intentionem exterius manifeſtat. Sed non tantum tunc, verum etiam quando exterius ipſam non manifeſtat. Siquidem dictio præcipue, præſertim, maxime, ex natura ſua eſt ampliſſima caſus magis dubitabilis. cap. ex literis 2. de homicid. & ibi gloſ. fin. cap. illud de præſumptione, & ibi gloſ. verbo præſertim L. quod eſt lex ſi. de lib. hom. exhib. juncta gloſ. verbo eodem. Et notant Joan. Andraas in addit. ad Speculat. in tit. de teſt. §. r. verſuſ item excipitur quod eſt impubes, ibi, ſed numquid fratres. Quinſil. Mando, poſt alios quos citat in reg. de ſubrog. collig. q. 6. n. 2. Fagnanus ad cap. cum voluntate de ſent. excom. n. 17. & ad cap. ſignificati de elect. n. 26.

7<sup>o</sup>. eadem proportionaliter eſt ratio (quoad punctum præſens) miniſtrantis, atque adulti recipientis Sacramentum: cum conſenſus & voluntas adulti recipientis Baptiſmum v. g. neceſſaria ſit cum ad validè recipiendum; ſicut conſenſus & voluntas miniſtrantis ad conferendum Baptiſmi Sacramentum. Sed ſi in adulto deſſet intentio ſuſcipiendi Sacramentum, eſſet rebaptizandus. S. Thomas q. 68. a. 7. ad 2. Sicut ergo ſi adultus interius diceret: *Volo abluere corporaliter, non ſpiritualiter & ſacramentaliter*, non valeret Baptiſmus ipſus; ita ſi miniſter interius diceret: *Volo baptizare, ſeu abluere corporaliter, non ſpiritualiter & ſacramentaliter*, ipſe ſacramentaliter non baptizaret.

8<sup>o</sup>. quando miniſter interius dicit: *Volo baptizare corporaliter, ſed nolo conferre Sacramentum Baptiſmi, imò nolo Sacramentum ipſud deſiderare*. per ejuſmodi intentionem non ſubjicit ſe intentioni Chriſti principali Agentis, quæ eſt ſacramentaliter baptizare, ſive Baptiſmi Sacramentum conferre, ſed iſti intentioni in corde ſuo contradicit. Atqui in miniſtro requiritur intentio, quæ ſe ſubjiciat principali Agenti. S. Thomas q. 64. a. 8. ad 1. Enimverò ſi ſe non ſubjiciat, ſed contradicat, non habet intentionem faciendi, quod facit Eccleſia. Siquidem Eccleſia, Chriſti, Sponſi ſui, intentioni non contradicit, ſed ei ſe ſubjicit, vultque efficere Sacramentum: iſte verò vult contrarium. Meritò proinde Alexander VIII. damnavit propoſitionem 28. n. 87. enarratam. Videant qui ſententiam noſtræ contrariam tradunt, an in ea propoſitione, ſua non ſit damnata. Tameſi enim damnata propoſitio expreſſè non loquatur de ſerò ponentibus ritum externum; Authores tamen illius, Romam delati, de iis damnatam propoſitionem intellexerant, non de iis qui ritum externum exterius non ſerò, ſed deriſoriè ponunt.

CAPUT XII.

Satisſt argumentis in contrarium.

98<sup>o</sup> Objicies 1<sup>o</sup>. quamvis (ob præmiſſa) non ſufficiat mera intentio corporaliter abluendi; equidem dum Miniſter non ignorat, Eccleſiæ intentionem eſſe, per hunc vel illum ritum externum, conferre Sacramentum, determinatio ad conferendum Sacramentum eſt efficaciffima. Hoc ipſo namque, quòd Miniſter vult adhibere miniſterium, quo novit Eccleſiam intendere Sacramentum, vult & facit, quod vult & facit Eccleſia; tameſi credat id nihil eſſe, & in animo derideat. Sicut dum aliquis alicui applicat ſigna, quæ novit eſſe magica, ſive à magis applicari ſolita ad magicas artes, tameſi in animo nihil illa æſtimet, ſed derideat, vult & facit, quod volunt & faciunt, ſeu velle facere ſolent magi.

Reſpondeo negando aſſumptum pro ſecunda

parte. Quia cum illa notitia ſtat indifferentia ſignorum illorum ad corporalem & ſacramentalem abluionem, vel etiam ad magicam artem. Fieri namque poteſt, quòd diabolus, Dei ſimia, veſtit à mago, Eccleſiæ intentionem non ignorante, iſdem ſignis ſeu ritibus fieri incantationem, vel diabolico cultui ſuo dedicari illum cui applicantur. Incredible verò eſt, magum, ſigna illa applicantem folius incantationis gratià (ſolà mente retenti) vel etiam ſolà intentione (ſolo etiam animo concepta) dedicandi ſubjectum cultui diaboli; ipſi equidem Baptiſmi Sacramentum velle conferre, facereque quod Chriſtus & Eccleſia intendit.

Deinde ex eo quòd Eccleſia habeat ritum aliquem pro ſacro, non magis conſequens eſt, quòd Miniſter quicumque, hoc non ignorans, cum adhibeat ut ſacrum, quàm ex eo quòd Eccleſia ritum aliquem æſtimet ut ſacrum, conſequens ſit, quòd quiſquis eo utitur, ſciens ab Eccleſia æſtimari ut ſacrum, ipſe etiam æſtimet ut ſacrum. Quod profectò non magis conſequens eſt, quàm ex eo quòd Circumſiſionem Eccleſia hodie habeat pro ritu ſuperſtitioſo & ſacrilego, conſequens ſit, quòd Judæus, cum illa notitia filium ſuum circumcidens, ritum illum habeat pro ſuperſtitioſo & ſacrilego.

Neque abſolutè verum eſt quod additur de ſignis magicis, quæ etiam materialiter & phyſicè adhiberi poſſunt à ſciente magos iis uti ſolitos ad magicas artes, vel etiam adhiberi poſſunt animo ſicto, non ſerio, vel ad jocum & deriſionem.

Denique quidquid ſit de ſignis magicis, inde non magis conſicitur, omnem qui exteriorem Sacramenti ritum ponit, ſciens illum haberi ſacrum ab Eccleſia, velle illum ponere ſacratè, ſeu ut ſacrum, quàm omnis ille qui facit actum bonum, ſciens eſſe bonum, velle illum facere bene. Sicut enim ad bonum bene faciendum, plus requiritur, quàm facere bonum ex ſcientia bonitatis (*bonum enim ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu*) ſic ad faciendum Sacramentum, quæ tale, plus requiritur, quàm facere ritum ſacramentalem cum ſcientia quòd Eccleſia per eum ſolet facere Sacramentum. Aliàs baptizans puerum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, iis nominibus non intelligendo tres Perſonas SS. Trinitatis, ſed tres filios ſuos ſic nominatos, verè baptizaret.

Objicies 2<sup>o</sup>. SS. Patres, & Concilia, dum actum ſuit de Baptiſmo ab hæreticis collato ſolliciti non fuerunt de mentali intentione, ſed de ritu dumtaxat exteriore, præſertim cum ab ipſis adhibita fuſſet legitima forma.

Reſpondeo 1<sup>o</sup>. nihil inde magis conſicit contra neceſſitatem mentalis intentionis faciendi Sacramentum, quàm contra neceſſitatem mentalis intentionis faciendi quod facit Eccleſia, quam Patres haud minus requiſierunt, quàm Concilium Florentinum & Tridentinum. Idè ergo argumentum iſtud nihil probat, quia nimis probat, ut amplius conſtat ex dictis n. 88. & 101.

Reſpondeo 2<sup>o</sup>. idè ſollicitos non fuiſſe de mentali intentione, quia de ea tunc controverſia non fuit, ſed an fides & probitas Miniſtri neceſſaria foret ad valorem Sacramenti; in qua controverſia dixerunt Sacramentum ab infidelibus & impiis collatum eſſe validum, dummodò collatum fuſſet ſub forma legitima. Quæ adhibita, ſicut ſuppoſuerunt adhibitam quoque fuiſſe materiam debitam, tameſi alia fallaciter adhiberi poſuiſſet; ſic debitam quoque intentionem adhibitam ſuppoſuerunt, tameſi de intentione magis quàm de materia mentionem expreſſè non fecerint, quamdum de ea controverſia nulla fuit, nec ſpecialis fuit ratio de ea dubitandi.

Objicies 3<sup>o</sup>. Auguſtinus tr. 5. in Joan. docet, 104



Baptismum ab ebrío collatum esse validum, cum ait: *Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam: quia columbari atendo, per quam mihi dicitur: hic est qui baptizat.* Et l. 7. contra Donatist. c. 53. *Nihil interest ad integritatem Sacramenti, in ipsa Catholica Ecclesia, utrum id aliqui fallaciter, an veraciter agant, cum tamen hoc idem utrique agant. Et tamen si postea prodatur, nemo repetit, sed punitur illa simulatio, &c.* Et infra: *Non dubito illos habere Baptismum, qui quamvis fallaciter (id est simulato animo) id accipiunt, in Ecclesia tamen accipiunt.* Nec hoc tantum dicit, sed insuper ait: *Quod si totum mimice, ludicre, & jocaliter ageretur, utrum approbandus esset Baptismus, qui sic daretur, divinum iudicium, per alicujus revelationis oraculum, . . . implorandum esse cense-rem.* &c.

Respondeo Augustinum primo loco non dicere, non timeo ebrium, sed ebriosum, qui tamen non sit ebrius dum baptizat, sed sentiat quid faciat, quia intentio baptizantis exigitur, ait Glossa ad istum Augustini locum, in can. *dedit* l. q. 1. verbo *ebrios*. Nihil proinde ibi contra nos Augustinus, sed solum contra Donatistas probare intendit, Baptismi valorem à ministris sanctitate non pendere.

105 Difficilior est secundus locus. Sed in eo fallaciam & simulationem Augustinus opponit fidei (ut colligitur ex contextu, ubi præmittit mentionem de his qui baptismum, sine sua simulatione, & cum aliqua fide accepissent) nec aliud vult, nisi quod valeat baptismus ab eo receptus, vel datus, qui non credit ritum exteriorum, quem facit, vel recipit, esse Sacramentum. Qui, non obstante infidelitate illa, potest velle recipere, quod dat Ecclesia, sicut infidelis, non obstante infidelitate sua speculativa, practice potest intendere facere, quod facit Ecclesia, licet æstimet id nihil esse, inquit S. Thomas q. 64. a. 9. ad 1. quia scilicet potest quis practice se conformare intentioni Ecclesie, tamen si speculative habeat fidem contrariam fidei Ecclesie.

106 Tertius locus hodie non habet difficultatem. Quia hodie habemus Deica de re iudicium, nobis declaratum per duo Generalia Concilia, Florentinum & Tridentinum. A quibus dum declarata est in Ministro necessitas intentionis, (non ludicra, nec jocosa, sed seria) faciendi quod facit Ecclesia, consequenter declaratum est, baptismum mere ludicre, mimice & jocaliter collatum non esse validum. De quo sententiam tunc ferre non audebat Augustinus, quia nulla de eo adhuc definitio erat usus Concilii, five regionalis, five generalis, uti nunc. Nunc proinde indubitanter asserimus, quod (ut ibidem ait) *universalis Ecclesia confessione roboratum est.*

107 Objicies 4<sup>o</sup>. Innocentius IV. ad cap. *si quis puerum de baptismo* dicit, quod non est necessitas, quod baptizans sciat quid sit Ecclesia, nec quod gerat in mente facere quod facit Ecclesia, imò si contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est, dummodo baptizare intenderit.

Respondeo Innocentium IV. id quidem scripsisse ut privatum Canonum Interpretem, antea sum Pontificatum (ut videre est in prologo ad caput citatum) sed verba ipsius ne ab ipsis quidem objicientibus in eo rigore accipi posse, quem primâ facie præ se ferre videntur. Alias Conciliis Florentino & Tridentino contradixisset, doctrinaque ipsius per Alexandrum VIII. (propositione 28. n. 87. relatâ) proscripta fuisset. Ad concordandum ergo Innocentium IV. cum Alexandro VIII. Conciliisque Florentino & Tridentino, requiruntibus intentionem faciendi quod facit Ec-

clesia, dicimus cum Innocentio IV. dum aliquis in necessitate baptismum petit à Saraceno, dummodo Saracenus ipsum baptizare intendat secundum intentionem petentis, id est Baptismi Sacramentum conferre, & non solum corpus lavare, necessarium non esse, quòd sciat quid sit Ecclesia, nec quòd expressè dicat in mente, volo facere quod facit Ecclesia, cum implicite satis id dicat quoad substantiam, cum dicit se velle baptizare ut supra, tamen non credat Baptismum petiti gratiam conferre, idèdè Ecclesie contradicere quoad effectum Sacramenti, atque isto sensu dicat, se nolle quod facit Ecclesia, id est se nolle conferre effectum Sacramenti, quem conferre intendit Ecclesia. Quia intentio effectus Sacramenti, non est de necessitate Sacramenti.

Objicies 5<sup>o</sup>. S. Thomas 3. p. q. 64. a. 8. ad 2. postquam retulit sententiam nostram, quæ ex parte Ministri requirit intentionem mentalem, ad Sacramenti valorem: oppositam præferre videtur, dum subdit: *Alii melius dicunt, quòd Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesie, cujus est Minister. In verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Ecclesie, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti; nisi contrarium exterius exprimat ex parte Ministri, vel recipientis Sacramentum.* Hic enim verbis significare videtur, necessariam non esse aliam intentionem mentalem, nisi profereudi verba, in quibus intentio Ecclesie continetur.

Respondeo cum Cajetano, Soto, Nugno, Cabrera, Gonetio, Vincentio, Baronio, aliisque passim Angelici Doctoris Interpretibus, ac Discipulis, negando antecedens. Manifestum quippe est sincere conferenti obiectum testimonium cum aliis quæ pro assertionem nostra exhibuimus, jamque exhibitori sumus, S. Doctorem ad confessionem Sacramentorum plus requisivisse, quam voluntatem faciendi solum opus externum. Primum quia S. Doctor sententiam nostram validè probat ibidem in corpore, uti n. 95. vidimus. Secundò quia cum ibidem ad 1. sibi objecisset, quòd intentio Ministri non requiratur ad perfectionem Sacramenti. *Minister enim in Sacramento instrumentaliter operatur. Sed actio non perficitur secundum intentionem instrumenti, sed secundum intentionem principalis agentis.* Ergo, &c. Respondet, quòd Minister in Sacramento operatur ut instrumentum animatum, non ut inanimatum. Tamen verò instrumentum inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectus, sed loco intentionis est motus quo movetur à principali agente. Tamen instrumentum animatum . . . non solum movetur, sed etiam quodammodo movet seipsum. . . . Et idèdè requiritur ejus intentio, quia se subsicit principali agenti, ut scilicet intendat facere quod facit Christus & Ecclesia. Christus autem & Ecclesia facit Sacramentum, non exteriorem dumtaxat ritum. Tertio quia eadem q. 64. a. 10. in corp. expressè requirit intentionem faciendi Sacramentum: *Cum aliquis non intendat Sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere, tollit veritatem Sacramenti.* Confer quæ dixi n. 95. sub finem. Quarto quia in 4. dist. 11. q. 2. a. 2. questione 3. ad 1. sic habet: *In Sacramentis est duplex intentio, una quæ ordinatur ad perfectionem Sacramenti. Et hæc est essentialis Sacramenti, &c.* Atqui intentio quæ ordinatur ad perfectionem Sacramenti, haud dubie est intentio perficiendi Sacramentum. Hæc est igitur essentialis Sacramenti. Quintò quia opusc. 5. requiritur (inquit) *in quolibet Sacramento persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione conferendi & faciendi quod facit Ecclesia.* Quæ cum haud dubie conferat & faciat Sacramentum: igitur Angelicus Doctor in Ministro requirit intentionem conferendi.

rendi & faciendi Sacramentum.

- Nec obstant verba objecta ex q. 64. a. 8. ad 2. Quia intelligi debent, ut postulat objectio, ad quam ibi respondet; siquidem *intelligentia dictorum ex causis assumenda est dicendi*. Sibi autem sic obijerat: *Non potest homini esse nota intentio alterius. Si igitur intentio Ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti, non potest homini ad Sacramentum accedenti esse notum, quod Sacramentum suscepisset. Et ita non potest habere certitudinem salutis. ... cum quaedam Sacramenta sint de necessitate salutis.*
- 109 Ecce illud ipsum argumentum sibi S. Doctor obijcit, quod Adversarii nobis obijciunt. Ad quod dum respondet, ad valorem Sacramenti sufficere intentionem Ecclesie. ... quæ in verbis, quæ profert, exprimitur, nisi contrarium exterius exprimitur, &c. imprimis *non intendit Autor, quod hoc sufficiat ad perfectionem Sacramenti simpliciter* (ait Cajetanus ad illum locum S. Thomæ) *sed ad perfectionem ejus quoad nos*, in quantum sufficit ad rationabilem præsumptionem, quietandamque suscipientis conscientiam, ita ut turd credere possit se verum Sacramentum suscepisse. *Per hoc enim evitatur inconveniens, quod quilibet incertus possit dici, de susceptis Sacramentis.* Hactenus Cajetanus. Deinde dum S. Thomas sufficere ait intentionem Ecclesie, quæ verbis exprimitur, non negat requiri propriam Ministri, sed solum vult specialem non requiri, modo habeat illam generalem, quæ Christo principali Agenti, & Ecclesie se subijciat, quamque verba ipsa exprimit. Quæ quia sine mentis intentione proferri non præsumuntur, dum exterius contrarium non exprimitur, sufficere hoc debet ad conscientie quietem, nisi ubi specialis foret ratio dubitandi, sicut in casu Sacramenti ab ebrioso suscepti. Quo casu Sacramentum sub dubio repecti possit, ad comparandam moralem certitudinem.
- 110 Eumverò vel ipse S. Doctor in verbis objectis aperte significat, Ecclesie intentionem, verbis à Ministro prolatis expressam, absolute non sufficere ad perficiendum Sacramentum. Si enim absolute sufficere censuisset, limitationem hanc immediate non subjunxisset: *nisi contrarium exterius exprimitur ex parte Ministri, vel recipientis Sacramentum.* Quæ limitatione sicut aperte significat, Ecclesie intentionem, verbis à Ministro prolatis expressam, non sufficere quoad nos, dum contrariam intentionem exterius Minister exprimit; sic eandem quoad Deum, sive in oculis Dei minime sufficere satis innuit, dum contrariam intentionem interius, sive in oculis Dei exprimit. Sicut enim quoad nos habere non censetur intentionem, Ecclesie intentioni verbis à Ministro prolatis expressæ conformem, dum quoad nos contrariam intentionem exprimit; sic quoad Deum habere non censetur intentionem, Ecclesie intentioni, &c. conformem, dum contrariam intentionem quoad Deum, sive in corde suo in oculis Dei exprimit. Cur enim contraria intentio, exterius expressa, necessariam intentionem quoad nos destruit, si interius expressa, necessariam intentionem quoad Deum non destruit?
- 111 Si dicas, quod contraria intentio exterius expressa, reddit prolationem formæ non feriam, sed ridiculam. Contrà 1. quare prolationem formæ reddit non feriam, si externa expressio conformis sit internæ (quam habet) intentioni? Si enim internæ conformis sit, idem seria est, quia sincera. 2. si contraria intentio exterius expressa reddat prolationem formæ quoad nos non feriam, sed ridiculam; simili ratione contraria intentio, corde sive in animo expressa, reddit prolationem formæ, quoad Deum, sive in oculis Dei, non feriam, sed ridiculam. Atqui juxta S. Doctorem

Tom. III.

rem, intentio reddens prolationem formæ in oculis Dei non feriam, sed ridiculam, in oculis Dei non sufficit ad perficiendum Sacramentum. Cum in oculis Dei, per talem intentionem, *non subijciat se principali Agenti, ut scilicet intendat facere, quod facit Christus & Ecclesia.* Quod ad valorem Sacramenti S. Doctor requirit ibidem ad 1.

Objicies 6. fervus, ad valide donandum nomine domini sui, habere non debet intentionem, ab intentione domini distinctam. Similiter ergo Minister, ad Sacramentum nomine Christi valide conferendum, habere non debet intentionem, ab intentione Christi distinctam.

Respondeo antecedens verum esse de servo, qui merus fit executor donationis factæ à domino suo. Secus si non sit ipsi commissa mera executio, sed & donandi munus cum ministeriali autoritate ac potestate. Ministris verò Sacramentorum commissa non est mera executio actionis sacramentalis à solo Christo factæ, sed ipsis tamquam dispensatoribus mysteriorum Dei, Christi-que legatis cum ministeriali autoritate ac potestate committitur est munus agendi, sive baptizandi, confirmandi, consecrandi, peccata condonandi, &c. Et idem S. Thomas q. 64. a. 8. ad 1. dicit, quod ad conficiendum Sacramentum non sufficiat motus, quo Minister movetur à principali Agente, sicut movetur instrumentum inanimatum, sed etiam motus quo movet seipsum, sive quod requiratur ejus intentio, quæ se subijciat principali Agenti, ut scilicet intendat facere, quod facit Christus & Ecclesia.

Objicies 7. sic quilibet erit incertus, de suo Baptismo v. g. Quia incertus de interna Ministri intentione.

Respondeo 1. incertitudinem non tolli per sententiam Adversariorum, utpote cujus vel certa est falsitas, vel incerta veritas. Si enim damnata non sit, prout esse videtur ab Alexandro VIII. propositione 28. equidem probabilitatis, atque adeo incertitudinis limites non excedit. Respondeo 2. S. Thomam sibi idipsum objecisse, & solvissè, ut supra n. 104. & 105. Neganda proinde sequela est. Quia Minister sine debita intentione, materiam & formam debitam adhibere non præsumitur, nisi exterius contrarium exprimat, vel in specialibus circumstantiis, v. g. Baptismi à mago suscepti, speciale præbeat fundamentum de eo dubitandi. Quo cessante, præsumptio moraliter certa est de adhibita debita intentione. De quo vel ipsos Adversarios secundum dicta n. 88. & 89. oportet convenire: ipsi namque requirunt ex parte voluntatis in Ministro serium, & non merè jocularem consensum in exteriorem ritum, formamque, per quam scit, quod Ecclesia intendat præbere Sacramentum, ut vidimus ibidem. De isto verò serio, & non joculari consensu voluntatis, suscipiens certificari nequit, nisi modo dicto. Deinde eadem difficultas, seu incertitudo, objici potest, etiam dato quod interna Ministri voluntas non requiratur; ut enim Pallavicinus observat Histor. Conc. Trid. l. 9. c. 6. n. 4. primò in cunctis confessionibus, quid Sacerdoti facilius (dum absolvit voce submissa) quam voculam Sacramento necessariam omittit, innumerisque proinde homines, Deum sibi reconciliatum arbitratos, ob invalidam absolutionem, sub dæmonis jugo relinquere? Et nonne idem pro sua libidine committere possunt pagorum Curiones in conferendo Baptismo, ubi nemo è rusticis novit quanam sit forma necessaria? Quid ad hæc Farvacquius? Respondet omissionem voculæ Sacramento necessariæ, per se esse cognoscibilem, & punibilem ab Ecclesia, solumque esse posse occultam per accidens.

Sed quid inde per accidens equidem in ca. 115

G

sibus innumeris fugit id omnem humanam cognitionem, præterquam ipsius Ministri. Igitur per accidens in casibus innumeris, in eandem incertitudinem & difficultatem incurritur.

116 Quapropter in quavis sententia præsumendum pro valore Sacramenti, dum de contrario non constat, nec specialis ratio dubitandi occurrit. Aliàs præsumenda non est talis in Ministro malitia, ut aliquid necessarium sciens & volens omiserit. Cùm nullus privatae utilitatis aut voluptatis stimulus, quemquam ad talem malitiam excitet. Neque ergo debite intentionis, neque necessariae vocis defectus præsumitur, nisi de contrario constat. Nec de eo dubium rationabile censetur, nisi dubitandi ratio specialis habeatur. Tametsi abfolutè loquendo, intentio Ministri in manu Dei sit, qui potest illam Ministro inspirare, potest & defectum ipsius malitiæ Ministri permittere, necessariumque ad valorem Sacramenti materiam in necessitate subtrahere, secundum altitudinem inscrutabilem iudiciorum suorum, quã ab æterno disposuit, quos ad gratiam per Sacramenta promovere statuit, quos verò non. Unde quoddam singuli homines, post quamcumque adhibitam diligentiam, omnimodam certitudinem, de gratia Sacramentorum susceptione accepta, citra divinam revelationem habere non possunt, non solum absurdum non est, sed divinis oraculis consonat. *Nescit quippe homo, an amore, an odio dignus sit.* Nec cuiquam conquiri fas est, se innoxium hoc incommodo premi (inquit Pallavicinus loco citato n. 5.) quicumque enim in peccato est, subjacet noxæ, adeoque indignus est, ut unquam cum Deo in gratiam redeat. Nec inter tot infantes, qui, abique personali ipsorum culpa, vel parentum incuriã, vel casu repentino Baptismi expertes decedunt, vel unus conquiri potest, se injuriã casto exulare. Cuiusque enim datur post culpam (sive originalem, sive personalem) posse resurgere, misericorditer datur; cuiusque non datur, ex iustitia non datur.

## CAPUT XIII.

*Tametsi defectum, seu intentionis Ministri, seu materiae vel formae, respectu adultorum, quoad gratiam necessariam effectum, supplere possit votum Sacramenti: respectu infantium, sine Baptismo morientium, non supplet misericordia Dei.*

117 **P**ER votum Sacramenti, Baptismi scilicet & Poenitentiae, gratiam sanctificantem, ad salutem necessariam, adultis perfectè contritis, ante exteriorem Sacramenti susceptionem conferri, nemo dubitat Catholicorum. Quoad Poenitentiae Sacramentum, definivit hoc Concilium Tridentinum sess. 14. c. 4. Et sess. 6. c. 5. declaravit necessarium esse necessitate mediæ, nisi in re, vel in voto, sic explicans quod Christus ait Joan. 11. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Nec desunt Patres, aientes, Deum ob votum Sacramenti misericorditer gratiam conferre, etiam adultis imperfectè contritis, dum Sacramentum excludit necessitas. De quo nos infra.

118 Non defuerunt etiam Scholastici, quibus visum est defectum intentionis Ministri, respectu infantium, à Deo quoad gratiam & salutis effectum misericorditer suppleri. Refert enim S. Thomas in 4. dist. 6. a. 2. quoddam dicunt, *si desit intentio Ministri baptizandi puerum, puer creditur, quod summus Sacerdos, scilicet Deus, defectum suppleat, & salutem ei conferat.* Quod & repetit 3. p. q. 64. a. 8. ad 2. *Quidam dicunt, quod requiritur mentalis intentio in Ministro, quæ si desit, non perficitur Sacramentum, sed hunc defectum in pue-*

*ris supplet Christus; in adultis autem, qui intendunt Sacramentum suscipere, fides & devotio cum voto Sacramenti.* Quid de hac opinione S. Doctor? *Hoc (inquit) satis posse dici, quantum ad ultimum effectum Sacramenti, qui est justificatio à peccatis; sed quantum ad characterem, non videtur per devotionem accedentis posse suppleri.* Quibus verbis opinionem illam non approbat, sed solitiã suã modestiã utcumque tolerat, quia tempore S. Thomae non habebat contra se omnes penè Doctores, sicut modò, sed habebat celebres Patronos, scilicet Antifidionensem, Alensem & Bonaventuram, sicut & post S. Thomam habuit Durandum, Gabrielem, Paludanum, Javellum, Vigerium, Bartholomæum ab Angelis, Zanardum, & novissimè Mascarenham tr. 1. de Sacram. in genere n. 112.

Verùm hodie rejicitur ab omnibus penè Theologis, in tantum ut ipsam Vasquez censet erroneam, Sotus hæreticam, alii temerariam, & nullo modo defensibilem: utpote inducentem modum aliquem introcundi in regnum Dei, citra Baptismum, ejusque votum, contra universalem Christi effatum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Unde cùm aliquid opis Cajetanus (timidè, meliorisque judicii correctioni se subdens) excogitasset, quo infantibus in utero matris sine Baptismo decedentibus succurreretur, utique per datam ipsis, in utero periclitantibus, à parentibus benedictionem in nomine Trinitatis: *Quis enim scit (aiebat) si divina misericordia hujusmodi Baptismum in voto parentum acceptet, ubi nulla incuria, sed sola impossibilitas executionem Sacramenti excuset.* Id Pius V. ex Cajetani libris expungit iussit. Et licet articulum istum Cajetani (quem peculiaris Theologorum cœtus proscrībendum censuerat) Tridentini Patres non proscrībent, sed omiserint, eò quoddam illius proscrīptionem necessariam non crediderunt ad Baptismi doctrinam; non tamen per hoc ipsum silentium, seu omissionem, tolerandum declaraverunt, inquit Pallavicinus l. 9. c. 8. n. 4. Qui & n. 6. dignam hanc profert Pallavicino sententiam: quòd utique in his omnibus controversiis, par est animo recolanus, nostræ de divina misericordia existimationi evagandum non esse extra eos fines, quos Deus per sacras Litteras commonstravit. *Etenim ut ipsi liberum erat, homines non condere, vel ita procreare, ut ad claram Dei visionem jus nullum ipsis tribueret, atque etiam ut hoc jure, ob noxam Genitoris, ipsos privaret; ita quoque potuit in reliquum, citra iustitiæ detrimentum, suam misericordiam impertiri, eã prorsus mensurã quæ ipsi libuit.... Qui hos fines ausit prætergredi, specie pietatis, ad impietatem Pelagianam accedit.* Quo pacto rebelliones omnes in iustitiã præ se ferunt ostentationem majoris in Principem benevolentia: ita hæreses omnes ex ostentatione melioris de Deo existimationis originem habent. Et quo pacto majori fertur in Principem benevolentia, qui animum illius iustitiæ submittit: ita meliora de Deo credit, qui mentem illius oraculis mancipat.

At (inquis) Deus non alligavit Sacramentis potentiam suam, nec misericordiam. At (inquam ego) tametsi id verum sit, *mihi tamen, qui christianã regulã stringor, necessarium est credere, præter hoc (id est præter Baptismum in re, vel in voto) neminem posse salvari, ait in simili Otto Frisingensis l. 4. c. 18.*

Noli ergo arguere à veteri Testamento ad novum, quasi in novo, sicut in veteri, infantes sine Sacramento salvari possint in fide parentum. Aliter enim pro novo Testamento Christus statuit, cùm dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.*

Neque ideo minus misericors est in novo quàm

in veteri, vel faciliori ratione salutis hominum providit in veteri, quam in novo. Cum in novo nullus hominum sit, pro quo institutum non sit remedium per meritum Sanguinis Christi. Nec infantibus in utero morientibus in veteri Testamento fides parentum subvenire poterit; subsidiumque per baptismum magis generale sit, magisque obvium universitati hominum, quam fides parentum. Neque enim fides obvia fuit omni, sed uni tantum nationi, neque fidei subsidium tam facile comparabatur, quam modò baptismi. Facilius quippe in ad est aquam habere, utpote ubique affluentem; facilius item baptismi Ministerium ubique terrarum modò habere, quam tunc fidei prædicatorem: cum ad baptismi ministerium admitti sint ipsi quoque ethnici, ac mulieres. Et quamvis in casu fortuito contingat aquam desisse, subinde etiam ex malitia intentionem: longè pluribus parentibus in veteri Testamento contigit fidem abesse, quam Ministris intentionem.

CAPUT XIV.

*Opportuna digressio, quæ variis exemplis ostenditur, quam verè, quamque sapienter Pallavicinus dixerit, nostræ de divina misericordia existimationi evangelicam non esse extra eos fines, quos Deus per sacras Litteras demonstravit. Qui hos fines ausit prætergredi, specie pietatis in errores labi.*

- 124 Primò namque S. Thomas Supplem. q. 99. a. 2. dicit, quòd error Origenis fuit (ut Augustinus 21. *Origenis Dei* 17. dicit) quòd demones quandoque per Dei misericordiam liberandi sunt à pœnis. Sed iste error ab Ecclesia reprobatus est, &c.
- 125 Secundo, ut idem S. Thomas prosequitur ibidem a. 3. (sicut Augustinus dicit 21. *Civit.* 17. & 18.) quidam in hoc ab errore Origenis declinaverunt, quòd demones posuerunt in æternum puniri; sed omnes homines quandoque liberari à pœna, etiam infideles. Sed hæc positio omnino est irrationalis, &c.
- 126 Tertio, teste eodem S. Thomà a. 4. quidam fuerunt (ut dicit Augustinus in prædicto libro c. 20. & 21.) qui non omnibus hominibus promiserunt absolutionem à pœna æterna, sed soli Christianis. Et in hoc diversificati sunt. Quidam enim dixerunt, quòd quicumque Sacramenta fidei perceperunt, ab æterna pœna crunt immunes. Sed hoc est contrarium veritati. Quia quidam Sacramenta fidei recipiunt, & fidem non habent, sine qua impossibile est placere Deo. Hebr. 11.
- 127 Est idèd alii dixerunt, quòd solum illi ab æterna pœna erunt immunes, qui Sacramenta fidei sunt consecuti. Et fidem Catholicam tenuerunt. Sed contra hoc esse videtur, quòd aliquando aliqui Catholicam fidem tenent, & postea ab ea recedunt, qui non minori pœnà sunt digni, sed majori. Quia 2. Petr. 2. melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, &c.
- 128 Est idèd alii dixerunt, quòd soli illi ab æterna pœna sunt immunes, qui in fide Catholica finaliter perseverant, quantumcumque aliis criminibus involvantur. Sed hoc manifestè contrariatur Scripturæ, &c. In ea nihilominus opinione non soli hæretici fuerunt, sed & Catholici, quibus (ut Augustinus refert in exordio libri de fide & operibus) propterea videbatur indiscretè omnes admittendos esse ad lavacrum regenerationis. . . . etiamsi malam, turpemque vitam, facinoribus & flagitiis evidentissimè notam, mutare noluerint, atque in ea perseveraturos apertè etiam professione declaraverint. . . . Perversum enim putant atque præposterum, priùs docere quemadmodum de-

beat vivere Christianus; sed censèret præcedere debere Baptismi Sacramentum, ut deinde sequatur vitæ morumque doctrina. Quam si tenere & custodire voluerit, utilis fuerit. Si tamen noluerit, & retentà fide Christiana, sine qua in æternum perires, in quolibet scelere, immunditiaque permanjerit, salvum cum futurum, tamquam per ignem, velut qui edificaverit supra fundamentum quòd est Christus, non aurum, argentum, lapides pretiosos, sed ligna, fœnum, stipulam, id est non justos, castosque mores, sed iniquos, & impudicos. Et contra eos S. Augustinus 2. retract. 36. scripsisse se dicit præiatum librum de fide & oper. cuius scribendi occasionem commemorat: quia missa sunt mihi (inquit) à quibusdam fratribus, Latæis quidem, sed divinarum eloquiorum studiis, scripta nonnulla, quæ ita distinguerent à bonis operibus Christianam fidem, ut sine hac non posse, sine illis autem perveniri suaderetur, ad æternam vitam.

Istà sententià imbutæ quædam Catholice Ecclesie, teste eodem Augustino l. 1. de adulter. conjug. c. 18. retinentes adulterina confortia admittēbant ad baptismum, dummodo integrè profiterentur Christianam fidem, fundantes se in eo quòd Apostolus 1. Cor. 3. ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quòd positum est, quòd est Christus Jesus. Si quis autem superedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & unicujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit quòd superedificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum passetur: ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem. Hoc quaecumque fundamentum salvans hominem (ait Christianus Lupus assert. de opin. prob. cap. 14.) quædam Ecclesie censuerunt esse iolam fidem. Superedificata ligna, fœnum, stipulas, censuerunt esse qualiæcumque etiam faciōra ac flagitia. Hæc in fidelibus exurenda crediderunt per futuri sæculi ignem, ita ut illi postmodum essent pienè purgati, ac fierent salvi.*

litam etiam sententiam tenuit Rufinus, qui passim creditur Palæstina Presbyter (pergit Lupus ibidem) etenim in sua per Jacobum Sirmundum vulgata fidei confessione ponit hunc primum articulum: *Qui dicunt diabolo & demonibus, & impiis, hoc est Gentilibus, Judæis, Samaritanis, omnibusque hæreticis (exceptis Christianis, qui etiam fidem sequuntur, & peccatores sunt) aliquando esse parcendum, & pœnas eorum non esse perpetuas, anathema sit.* De quo anathematismo rectè scribit Joannes Camerius: *Morum pœna perpetua dicuntur; quòd omnino catholicum est. Istorum temporales; quòd etsi magnus olim viris placitum est, ab aliis tamen erroris damnatur.*

Inter istos magnos viros, Lupus ibidem recenset S. Hieronymum, id probans, quia in Dialogo adversus Pelagianos cap. 9. improbat Pelagum, dicentem, in die iudicii, iniquis & peccatoribus non parcendum, sed æternis eos ignibus exurendos. Hoc (inquam) de Catholicis peccatoribus intellectum Hieronymus improbat, ad objectum istius locum, comburentur peccatores & iniqui, respondens: non addit: *in æternum.* Sequentia verò Prophete verba, *Et qui relinquunt Deum, consummabuntur, exponens, de hæreticis, qui rectam fidei veritatem relinquentes consummabuntur, si noluerint ad Dominum reverti, quem dereliquerunt. Quæ sententià & tibi parata est, si neglexeris ad meliora converti. Deinde cuius est temeritatis iniquos & peccatores impiis jungere? id est illi, qui notitiam Dei non habent, vel habitam transgressione mutarunt. Istos à fidelibus plurimum dista-*



re multis ostendit, & subdit: Si autem Origenes omnes rationales creaturas dicit non esse perdendas, & diabolo tribuit penitentiam, quid ad nos, qui & diabolum, & satellites ejus, omnesque impios & pravaricatores dicimus perire perpetuo, & Christianos, si in peccato preventi fuerint, salvandos esse post pœnas? Quibus verbis videtur quoad Catholicos peccatores cum Origene sentire.

Quidquid sit de Hieronymo, Jonas Episcopus Aurelianensis l. 1. c. 19. Dicit solet à nonnullis Christianis (inquit sæculo nono) quòd hi qui in Christo renati sunt, quamquam sceleratè vivunt, & in malis operibus diem claudunt extremum, diuturno atque purgatorio, non tamen perpetuo igne sunt purgandi.

132 Denique memorati erroris assertores Catholicos fuisse, Augustinus Enchirid. c. 67. expresse testatur, dicens: Creduntur à quibusdam etiam hi qui nomen Christi non relinquunt, & ejus lavacro in Ecclesia abluuntur, nec ab ea ullo schismate vel hæresi præcitantur, in quantilibet sceleribus vivunt, quæ nec diluant penitentia, ac elemosinis redimant, sed in his usque ad ultimum vite finem perinacissimè perseverant, salvi futuri per ignem, licet pro magnitudine facinorum flagitiorumque diuturno, non tamen perpetuo igne puniri. Sed qui hoc credunt, & tamen Catholici sunt, humanà quoddam benevolentia, seu malè fundatà opinione de divina misericordia, mihi falli videntur. Hunc errorem velut palàm Evangelicis aliisque Scripturis adversantem, idem Augustinus refutavit in supra laudato libro de fide & oper. necnon in Enchiridio, in libris de Civit. Dei, aliisque locis, sicut & sanctus Chrysostomus homil. Domin. 2. Adventus to. 6. Et hom. 30. in Evang. Joan. Jonas Aurelianensis ubi supra, & S. Thomas loco relato.

133 Quarto, S. Thomas citat q. 99. a. 5. alterius erroris mentionem facit: Dicendum (inquit) quòd sicut Augustinus dicit in libro prædicto cap. ult. quidam posuerunt, non omnes, qui Catholicam fidem tenent, pœnâ eternâ esse liberandos, sed solùm illos qui operibus misericordiæ insistant, quamvis etiam aliis criminibus sint subjecti. Sed illud non potest stare. Quia sine charitate non potest Deo aliquid esse acceptum, nec sine ea prodest aliquid ad vitam eternam. Contingit autem aliquos operibus misericordiæ insistere, qui charitatem non habent. ... Et præcipue hoc apparet in raptoribus, qui multa rapiunt, & tamen aliqua misericorditer largiuntur. Et ideo dicendum, quòd quicumque cum peccato mortali decedunt, nec fides, nec opera misericordiæ, eos liberabunt à pœna eterna, etiam post quantumcumque spatium temporis. Ut patet 1. Cor. 6. Neque fornicarii, neque adulteri, &c. regnum Dei possidebunt. Quamvis enim in operibus misericordiæ se exercent, charitatem non habent, quæ non agit perperam. Dicit verd Apostolus ibidem c. 13. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas... charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Dicitur etiam Jacobi 2. Quicumque totam legem servaverit, offendant autem in uno, factus est omnium reus.

134 Quinto, tamen certum sit, & de fide, vel unicuique mortale peccatum, in quo quis moritur, ad eternam sufficere damnationem; in eo nihilominus circa divinam misericordiam errarunt non solùm hæretici, verum & Catholici, imò & Sancti quidam, quòd damnandos quidem censuerint omnes, non solùm infideles, sed illos etiam fideles quorum crimina nimium præponderant ipsorum operibus bonis. Sed non crediderunt unum, vel plura mortalia ad combustionem eternam sufficere, si his præponderarent ipsorum opera bona. Ita sensisse videtur Author sermonis 59. in Appendice S. Augustini: Erit enim (inquit) ibi sine dubio compensatio bonorum malorumque, &

velut in statera posita utraque pars, quæ demerserit, illa sibi eorum, quò momentam vergitur, operarium vindicabit. Si ergo malorum multitudo supervincit, operarium summa peribit ad gehennam; si verd majora fuerint opera bonorum, summa vi obstitent & repugnabunt malis, atque operatorem suum ad regnum vivorum ex ipso etiam gehennæ confinio revocabunt. Sicut & Damascenus in orat. pro defunctis: Dominus Deus, id quòd manibus suis effinxit, in æternum conservabit, nisi quis perpeticè deploratè improbitatis fuerit, rectamque fidem contempserit, in eoque causa sit, ut sinistra ipsius laux deorsum, præ gravitate, majorem in modum præponderet. Narrat enim viri quidam divinitus illustrati, hominum actiones in extremo vite spiritu, non secus atque in tratina, perpendi. Ac si quidem dextra laux supra alteram esset, non esse dubitandum, quin, quicquid ille est, inter dexteros Angelos animam exhalet. Si autem paria utrinque laux momenta sint, Dei clementiam procul dubio victoriam obtinere. Quin & à sanctissimis viris præditum est, etiam si trinita non nihil ad levam vergat, tum tamen Dei misericordia etiam supplet id quò desideratur. Habes jam tres divinas Domini sententias. Quarum prima justa est. Altera benigna & humanitatis plena. Tertia bonitatem omnem excedit. Sequitur quarta, quæ quidem tum denique locum habet, cum improba & flagitiosa actiones nimium præponderant, &c. Succinit Philippus Solitarius, Græcus Scriptor, in sua Dioptra. Et ante omnes istos Lactantius Firmianus l. 7. divina. instituit. c. 20. Judicabuntur ergo, qui Deum severunt, & facinora eorum, id est mala opera, cum bonis collata, ponderabuntur, ut si plura & graviora fuerint bona justaque, dentur ad vitam eternam; sin autem mala superaverint, condemnentur ad pœnam.

Hinc fortè desumpta est consuetudo in nonnullis Ecclesiis pingendi Michaëlem Archangelum, cum libra, ponderantem in una statera animam cum malis operibus suis, quam diabolum conatur deprime; in altera verd ejus virtutes, in qua Michaëli cum vexillo Dominiæ crucis impedit conatum diaboli, & ex merito passionis & crucis Christi videtur aliquid statera superaddere. Cujusmodi pictura licet habere queat sensum bonum, habeatque fundamentum aliquod in Scriptura Dan. 6. Appensus es in statera, & inventus minus habens, id est indignus misericordiæ, per quam revereris ad penitentiam, & consequenter ad veniam. Quia tamen ex hac pictura facile nonnulli colligunt, quòd si consequantur vitam eternam, in quibus bona opera præponderant malis, ait insignis Doctor Molanus l. 2. de factis imaginibus c. 23. consultus ommitteretur. Erraverunt enim laudati Patres, si ad litteræ rigorem senserint, quod citata verba ipsorum præ se ferunt. Quia de divinæ misericordiæ existimatione prætergressi sunt fines, quos Deus per sacras Litteras commonstravit. Cùm ex sacris Litteris palàm habeamus, eum qui moritur, vel in uno mortali crimine, post opera bona quamlibet multa & magna, eorum meritum omnium amittere, damnationemque incurtere sempiternam, ut constat ex sacris textibus n. 133. relatis, nec non ex Ezech. 18. Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem... omnes justitias ejus quas fecerat, non recordabuntur, &c.

Sexto, Andreas Vega in Trid. l. 6. c. 17. censet adultum justificari salvarique posse sine fide explicita Christi, imò & sine ulla de Deo notitia, arque adeo sine ulla fide unius Dei, si invincibili labore ignorantia illius. Sed hoc à fortiori damnavit Innocentius XI. propos. 22. inter 65.

Septimo, Sirmundus in libro quem defensionem virtutis incrispsit, tract. 2. scet. 1. c. 2. Vide (in-

quit) bonitatem Dei, non tam precipit amorem sui, quàm odium vetat, sive formale & actuale (quod non humanum, sed diabolicum est) sive materiale, quod in mandatorum transgressione positum est. Et cap. 2. magnum divinæ dilectionis mandatum explicans, dicit, quòd sine interno amoris affectu ceteras divinas leges sub mortali obligantes adimplens, in rigore obedit magno mandato, quantum satis est, ut salvus sit. Et in respons. ad libell. famos. pag. 21. Non parum esset, si semel in vita uno amoris actu fungeremur, atque hoc plus fieret, quàm quod in rigore precipitur. Quam propositionem cum alter ejusdem cum Sirmondo Institututi post damnatam ab Alexandro VII. propositionem 15. ex 45. renovasset in Thesi propugnata in Collegio Mussipontano 14. Januarii 1689. his verbis: Finem ultimum homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vite sue mortalis: Alexander VIII. in decreto de die 24. Augusti declaravit hæreticam, & ut talem damnavit.

138 Octavo, magnum divinæ benignitatis ac misericordiæ erga homines beneficium varii Recentiores existimarunt, quòd tot sint in mundo probabiles opiniones, per quas tam suave redditur (inquit) jugum Domini, ut tamen tota penè Theologia Moralis problematica sit Escobario, qui pluribus ingentibus voluminibus penè totam problematicè conscripsit, id est secundum duplicem viam, quarum una alteri contradictoriè opponitur: est, & non est: licet, & non licet: peccat, & non peccat: tenetur, & non tenetur: sufficit, & non sufficit, &c. nihilominus utramlibet ex duabus hisce viis ad eam securam intrent homines, rectè tendant ad superos. Ita ille to. 1. Theol. Moral. in præloquio c. 3. n. 13. Hinc Bassius verbo conscientia: Ex opinionum (inquit) varietate, jugum Christi suaviter sustinetur. Posset namque evenire plerisque hominum rebelles se prodere, si ad aliquid determinatè agendum, vel omittendum constringerentur. . . Providentiæ ergo supernæ cautum est, unicam tantum viam operationum moralium non dari, sed rectam posse inveniri actionem, sive juxta unam, sive juxta alteram opinionem operentur mortales. Ideò bonitas divinæ diversæ ingentibus hominibus contulit, quibus diversa inter se jura verum ferrent, & se rectè operari arbitrantur. Deo namque nullum emolumentum accersit, quòd quis operetur juxta unam vel alteram opinionem: solum desiderat mandatum suum non infringi. Cum igitur juxta probabilem opinionem operans Dei præceptum non infringat, Dei non interest quidquam, quòd juxta unam vel aliam opinionem operatio dedicatur. Hactenus Bassius. Et concinit Sancius in select. disp. 44. Ergo Ecclesia Catholica felicior dici debet (ait Caramuel in Theol. Regul. disp. 6.) quòd exuberet sanctissimis & doctissimis viris, qui introduxerunt benignas opiniones. Quia damnarentur plurimi, quos sententiæ probabilitas salvat. Nec inde Ecclesia infelix, quòd Doctores opinentur passim; sed & inde felicior, quòd benignius & facilius suos possit ad lauream empyream promovere. Quod & Spinula (post Henriquez.) repetit in opusc. de libera & prudenti electione disp. 3.

139 Hinc rursus Caramuel in epist. ad Anton. Dianam: Ego ingenium Diana, viri quidem doctissimi, veneror. Ejus industriâ multas opiniones evasisse probabiles, que antea non erant, invidas sit qui non affirmet. Si jam sunt probabiles, que antea non erant, jam non peccant, qui eas sequuntur, licet antea peccaverint. Ergo si ejusmodi peccata ab Orbe Litterario Diana sustulit, merito dicetur Agnus Dei, qui abstulit peccata mundi. Habent Navarrus & veteres Casuista gloriam suam:

sunt Leonis, & à rigore & severitate laudentur. Esto Agnus tu, laudandus à benignitate.

Uisque aded verò magnum illud probabilitatis, seu divinæ bonitatis ac misericordiæ per probabilitatem beneficium, novi illi Agni Dei, peccata mundi tollentes, extulerunt, ut ad excusandam operationem à peccato Tamburinus l. 1. r. in Decal. c. 3. §. 3. n. 3. & 8. Pasqualigus decis. 18. alique Probabilistæ, minimam de licito probabilitatem, dummodò probabilitatem, sufficere docuerint, etiam de ea probabilitate non nisi probabiliter consiterit. Sed hoc Innocentius XI. propos. 3. meritissimè condemnavit.

140 Nonò, Franciscus Carolus Reymakers in Appendice ad suam responsionem brevem n. 241. 242. & 243. tantam prædicat Dei erga peccatores quoscumque misericordiam, ut omnibus ultra sic offerat gratiam veræ penitentiæ, quòd non sit multo tempore, vel labore requirenda, sed eidem taxat consentiendum. Et n. 280. addit, quòd ad contritionem imperfectam, etiam à consuetudinariis eliciendam (de his enim agit tota Appendice) imò sæpè ad perfectam non requiritur alius labor, quàm ut penitens, se præparans ad confessionem, examinatâ conscientia, cõnetur excitare verum dolorem, ex consideratione turpitudinis peccati, & bonitatis divinæ offensæ: tunc facienti quod in se est, Deus non deest. Quæ non solum infundata, sed & aliena esse à Scriptura & traditione, probabitur ubi de penitentiâ.

Decimò, Author Pentalogi diaphorici in Appendice fol. 7. Si quoties (inquit) recidivum se immutat de bono in malum, toties divina misericordiâ vult recidivum immutare de malo in bonum, quis accusabit adversus recidivum? . . . has vocamus divine misericordiæ divitias.

Undecimò, idem in Pentologo c. 6. n. 51. postquam dixit, quòd ad completam divinæ misericordiæ participationem requiruntur diversi gradus peccatorum, quorum aliqui uno, alii aliis modis divinam participent misericordiam: tres (mede ex sensu tuo) comminiscitur ordines electorum. Quorum tertius est eorum, quos continuo cadere permittit Deus, ut per Sacramentum penitentiæ continuo resurgant.

Duodecimò, idem in elucidatione circa usum absolutionis fol. 97. talcm prædicat excessum divinæ misericordiæ, ut etiam à peccantibus ex habitu per viginti annos, centiesque & centies in eadem peccata relapsis, tamen vitam duxerint enormiter flagitiosam, nullumque sit crimen, quod non commiserint, ad hoc ut sacramentaliter à Sacerdote absolvi possint, nec postulet emendationem notabili tempore, nec fructus dignos penitentiæ, sed folia dumtaxat. Quæ tria effata ipsius, divinæ Scripturæ, Sanctorumque traditioni contraria esse ibidem ostendimus. A supradictis proinde opinamentis abstinentibus haud dubiè memorati Authores, si de divina misericordia aliud non sensissent, nisi quod ex sacris Litteris, & Sanctorum traditione didicissent.

CAPUT XV.

Ad perficiendum Sacramentum non sufficit habitualis intentio Ministri: nec requiritur actualis: sufficit virtualis.

Capite undecimo probavimus in Ministro Sacramenti necessariam esse intentionem faciendi Sacramentum. Quod quia tribus modis Minister intendere potest, utique vel actualiter, vel virtualiter, vel habitualiter. Queritur utro istorum modorum id debeat intendere?

Intentio actualis, illa est quam Minister habet actu, dum conficit Sacramentum, sive (ut Syl-

vius hęc est præfens animi applicatio & attentio ad opus quod agit. Ad quod non est (inquit) necessarium, quod quis ore, vel corde formaliter dicat hæc verba, *insendo hoc facere*; sed oportet ut animo sit præfens, attendendo ad verba, verborumque sensum, & actu advertendo quid agat. Ita namque est actualis intentio in actu exercito.

147. *Intentio virtualis*, est ipsamet actualis, quæ præcessit, & moraliter perseverare censetur in Ministro, dum perficit Sacramentum: quia interrupta non est per actum contrarium, & Minister ex vi ipsius continuat & perficit ministerium. *Puta si Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia* (ait S. Thomas q. 64. a. 8. ad 3.) *Unde si postea in ipso exercitio actus, cogitatio ipsius ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum.*

148. *Intentio habitualis*, est intentio operis faciendi aliquando habita, nec retractata, ex cuius vi opus hęc & nunc non procedit: quia nec amplius est in memoria, vel cogitatione; nec amplius existit in se, vel in effectu, qui fiat humano modo virtute ipsius: cum etiam in dormiente reperitur, qui humano modo agere non valet.

149. *Quamvis ergo studiosè curare debeat Sacramenti Minister, ut etiam actualem intentionem habeat* (ait S. Thomas loco citato) hoc tamen sicut necessarium non est ad humano modo agendum; sic necessarium non est ad Sacramentum perficiendum. Alias sacramentale ministerium foret scrupulis plenum. Cum humanum ingenium adeo volubile sit, & distractionibus obnoxium, ut non sit totaliter positum in hominis posse habere actualem intentionem (pergit S. Doctor) quia, præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, secundum illa Psal. 39. *Cor meum dereliqui me.*

150. Necessarium verò est quod intentio sit plusquam habitualis. Quia collatio Sacramenti esse debet actus humanus & liber, ex iudicio rationis procedens. Ad actum verò humanum & liberum intentio non sufficit habitualis. Cum etiam in ebriis, amentibus & dormientibus, libertate & iudicio carentibus, reperitur.

151. Nec quoad hoc contrarius est S. Thomas ibidem dicens, *intentionem habitualem sufficere ad perficiendum Sacramenti*. Tum quia manifestè per habitualement intelligit virtualement, cum eam explicet eo modo quo virtualis ab omnibus, ab ipso etiam S. Doctore exponi solet: explicans namque quod proxime dixit, exemplificat in Sacerdote, qui accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia. *Unde si postea in ipso exercitio actus, cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum.* Quæ cum sit ipsissima descriptio intentionis virtualis, manifestum est S. Doctorem ibi non loqui de habituali ut distincta à virtuali, sed ut distincta ab actuali dumtaxat. Tum quia vehementer dubitat Sylvius, nec sine gravi fundamento, an non sit legendum, virtualement. Cum ex una parte allata descriptio, sit descriptio intentionis virtualis. Ex alia verò parte S. Doctor virtualement aliis locis distinguit ab habituali, ut q. 87. a. 1. ubi distinguit potentiam habitualement à virtute. Et qq. disput. de charit. a. 11. ad 3. aliud esse dicat habitualement referre aliquid in Deum, aliud virtualiter. Unde in aliquibus codicibus allata q. 64. a. 8. ad 3. ad marginem habetur, *aliis virtualiter*. Et in codice Cajetani anno 1540. edito habetur, *virtualement*.

152. Secundum omnes itaque Theologos sufficit intentio virtualis. Quia illa intentio, quæ in communi vitæ usu sufficit ad humano & libero modo

agendum, sufficit ad Sacramentum conficiendum. Adesse verò censetur illa intentio, quoties Minister ab initio cum humana advertentia se applicuit, & membra movit ad actionem sacramentalem exercendam, & ex vi illius applicationis membra manent applicata continuantque motus suos. Quod tamdiu durare censetur (ait Sylvius) quamdiu durat motio membrorum ex vi primæ applicationis, tamen contingat mentem divagari. Motio verò illa membrorum durare censetur, donec vel finiatur, vel res intenta obtineatur, vel donec per contrariam intentionem, aut impedimentum superveniens interrumpatur. Sic dum Sacerdos pulsu campanæ vocatus ad celebrandum, eo fine pergit ad Sacrificium, ibique se præparans, deinde assumit sacras vestes, iisque assumptis vadens ad altare, Missam inchoat, & continuat usque in finem, quidquid agit in Missa, agere censetur ex vi primæ intentionis, non obstante distractione tantâ, ut in consecratione v. g. de consecratione non cogitet.

Scio non facillè explicari, quantum sit, & in quo permaneat virtus illa primæ intentionis & applicationis, postquam intentio actualis desit esse actualis? cum intentionis quæ esse desit, nulla possit esse virtus, nulla proprietates, juxta illud: *non estis nulla proprietates*. Qui enim dicunt, quod maneat in effectu suo, seu effectibus, ordinatè procedentibus ex vi primæ illius intentionis; non vident solvere difficultatem. Quia superest explicandum, quomodo, & per quid prima intentio influere censetur in effectus illos, postquam esse desit, & quâ ratione effectus illi tunc consequantur ex vi ipsius?

Respondeo 1. intentionem actualem finis, antequam desineret, movisse voluntatem ad volendum media, à primo ad ultimum, donec finis obtineatur; addoque in effectus illos influere per actualem volitionem mediourum, quæ ex toto non cessat, sed perseverat usque dum finis obtineatur, licet ad eam non reflectatur.

Quæ explicatio intelligibilis est opinione plurimum Recentiorum, aientium (cum Scoto) ad id non esse necesse, quod perseveret aliqua volitio actualis, sive circa finem, sive circa media, quæ sunt ad finem. Quia postquam voluntas semel imperavit potentia inferiori; hæc in sua actione naturaliter pergit, ut patet in horaria ambulatione. Siquidem ambulans per horam non semper actu cogitat de ambulatione, nec proinde semper actu vult ambulationem. Hæc (inquam) opinio minus intelligibilis videtur. Quia ordinata series actionum, nullam inter se naturalem connexionem habentium, imò sæpè ab arte intellectuali dependentium, difficulter intelligitur esse absque aliqua subtili attentione intellectus eas dirigente, volitioneque eas imperante: tamen attentio & volitio illa eatenus absesse videatur, quatenus ad eam non reflectitur.

Respondeo 2. Ministrum Sacramenti in praxi non debere esse sollicitum de modo quo sua intentio virtualiter perseverat, dum contingit mentem suam divagari. Quidquid enim de eo sit in speculatione (qua de re non fufius to. 1. ubi de relatione virtuali actionum nostrarum in Deum, & to. 2. ubi de attentione virtuali in recitatione Horarum) & sive subtilis illa attentio & volitio in ipso sit, sive non sit, dum mens ipsius taliter avolat; in praxi dubitare non debet, intentionem ab initio conceptam virtualiter perseverare, & influere in ea quæ facit, quamdiu ordinatè pergit in ministerio per ipsam inchoato, & ipsa nec per impedimentum superveniens interrupta. Maxime si doleat de sua illa mentis divagatione, dum ad eam reflectit, sique animo constitutus sit,

fit, non obstante sua distractione, ut interrogatus, num velit Sacramentum conferre? sincerè respondeat affirmativè. Tunc enim non minus in praxi certus est, quòd humano modo pergat in sacramentali ministerio, quàm quòd humano modo pergat in exercitio aliarum actionum humanarum, quas simili modo cum mentis distractione peragit. Et tantò minus esse debet in praxi sollicitus, num in ipso manserit, vel non manserit subtilis illa intentio & volitio actualis, quantò minus eam percipere potest, ut fatentur assertores ipsius. Cum ad nihil servire possit sollicitudo de re imperceptibili, nisi ad infructuosam seu inanem capitis vexationem, nec certitudo sua intentionis pendere possit à permanentia illius attentionis & volitionis imperceptibilis, de qua nulla haberi potest certitudo.

CAPUT XVI.

*Mortaliter haud dubiè peccat Minister, Sacramentum quocumque administrans cum conscientia peccati mortalis.*

157 **P**robatur 1<sup>o</sup>. ex Levit. 21. ubi vel ipsis Sacerdotibus veteris Testamenti vetitum erat, maculatos accedere ad altare, ibique sacrificia & oblationes offerre: *Sacerdos... qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo... non accedet offerre oblationem Domino.* Si id vetitum erat in veteri Testamento, quantò magis in novo? Et cui attendenti materia gravitatem dubium esse potest, inhibitionem illam esse sub mortali: cum lex divina in materia gravi nunquam non obliget sub mortali.

158 **2<sup>o</sup>**. ex Levit. 19. *Sancti eritis, quia ego Sanctus sum.* Et Isa. 52. *Mundamini, qui ferri vasa Domini.* Quantò magis sancti & mundi esse debent Ministri Sacramentorum novæ legis, quibus non umbra & figura gratiæ, Authoritque ipsius, sed vel ipsa grana, vel etiam Author ipse gratiæ continetur?

159 **3<sup>o</sup>**. ex Isa. ult. ubi figuratè exprimitur, quàm grave peccatum sit, sanctissimam actionem (qualis est sacrificium offerre, vel Sacramentum conferre) non sanctè exercere, sed immundo corde, quasi actio profana esset: *Facinorosus, qui sanctificat mihi vitulum, quasi canem occidat; & qui cogit similitudinem, quasi sanguinem porcinum; & qui offert thus in memoriam; quasi blasphemus.* Refertur can. per Esaiam 1. q. 1.

160 **4<sup>o</sup>**. ex can. *baptismus* de Consecr. dist. 4. ubi ex Augustino tr. 5. in Joan. dicitur: *Iustus esse oportet tanti iudicis Ministros.*

161 **5<sup>o</sup>**. ex Gregorio IX. cap. *questum* extrav. de temp. ordin. *Questum est de Sacerdotibus, & aliis Clericis, qui post reatum adulterii, perjurii, homicidii, vel falsi testimonii, bonum rectæ conscientie perdidit.* Respondemus quòd... si non penituerint, monendi sunt, & sub interminatione divini iudicii obtestandi, ut, in testimonium suæ damnationis, in susceptis ordinibus non ministrent.

162 **6<sup>o</sup>**. quisquis sanctitatem Sacramentorum quantum in se est polluit, mortale sacrilegium admittit. Sed quisquis ea ministrat cum conscientia peccati mortalis, eorum sanctitatem quantum in se est polluit: cum ea indignè & valdè irreverenter ministrat, perinde ac si sancta non essent, sed profana, quæ (teste S. Thoma 2. 2. q. 99. a. 3.) *inter res sacras summum locum obtinent.* Ergo mortale sacrilegium committit. Tametsi enim *Sacramenta secundum se ipsa incontaminabilia sint* (ait idem Angelicus Doctor 3. p. q. 64. a. 6.) nihilominus *hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum quantum est ex parte peccatoris.* Ex quo consequens

est, quòd tale peccatum sit ex genere suo mortale, ob gravitatem irreverentiæ. Quam rationem Angelicus Doctor deprompsit ex Augustino l. 2. contra Parmen. c. 13. dicente, quòd Sacramenta mali Ministri, quantum in ipsis est, polluere dicuntur, cum illa impolluta permaneant. Nam *Es de spiritu qui nullo modo potest extinguere, dictum est tamen, spiritum nolite extinguere, id est, quantum in vobis est, nolite sic agere, tanquam conemini spiritum extinguere...* *Es nomen Domini nullo modo pollui potest; & tamen dictum est Amos 2. filius & pater intrabant ad unam puellam, ut polluerent nomen Dei sui.* Sacramentorum verò sanctitatem polluere & violare, sacrilega temeritas est, juxta eundem Augustinum l. 32. contra Faust. c. 14. *Siquis Sacramenta novi Testamenti ausus fuerit sacrilegè temeritate violare, penas divinitus constitutas relictissimo iudicio perfolvet.*

**7<sup>o</sup>**. Rituale Romanum iussu Pauli V. editum, 163 præmissa confirmat, de Sacramentis §. 1. dicens, quòd *est Sacramenta ab impuris coquinari non possunt, neque à pravis Ministris eorum effectus impedi, impure tamen & indignè ea ministrantes in aeternæ mortis reatum incurrunt.* Sicut & Catechismus Romanus p. 2. c. 1. n. 17. aiens, *Sacramenta impure ministrantibus aeternam perniciem & mortem offerre.*

Nec verò Rituale, nec Catechismus Romanus in eo distinguit ministrantes ex officio, à ministrantibus ex necessitate; nec Ministros ad istud ministerium specialiter consecratos, à non consecratis. Et ratio n. 162. allata probat, etiam non consecratum committere sacrilegium. Quia sicut Minister consecratus peccat graviter contra reverentiam Deo & Sacramento debitam, illud quantum in se est polluendo; ita & non consecratus. Cui etiam reverentia Sacramento debita non permittit Sacramenti sanctitatem polluere. Et idè non solus Minister ad id specialiter consecratus, verùm etiam non consecratus mortaliter peccat, Sacramentum cum conscientia peccati ministrando. Atque ita docent Durandus, Capreolus, Gabriel, Paludanus, Adrianus, Angelus, Navarrus, Cardinalis de Lugo, & alii: licet quoad Ministerium non consecratum dissentiant Scotus, Cajetanus, Sylvester, Bonacina & alii; citantes quidem S. Thomam loco proximè relato ad 3. Sed ibi solùm docet, quòd ministrans ex officio, sive consecratus, in casu necessitatis non peccat baptizando, in casu in quo etiam posset laicus baptizare. Quod verum est quando Minister, sive consecratus, sive non consecratus, ob temporis angustiam moraliter non potest in se sufficientem excitare contritionem, eò quòd proximo extreme periclitanti statim ministrandum sit Baptismi vel Penitentis Sacramentum. Quo casu excusatur ab irreverentia, si excitato momentaneo dolore, qualem pro temporis angustia excitare potest, necessarium statim ministrat Sacramentum. Cum enim Sacramenta ob salutem hominum instituta sint, in perplexitate, in qua utriusque aequè primò consulti non potest, prius salutis proximi consulendum est, quàm reverentiæ Sacramenti, per contritionem sufficientem ad justificationem.

Extra hanc itaque perplexitatem, Minister, etiam non consecratus, cum conscientia criminis ministrando, mortaliter peccat. Et hoc de consecrato Doctores ferè omnes adèd certum existimant, ut vel ipse Diana, tametsi à Caramuele vocatus *Agnus Dei*, qui tolleret peccata mundi, p. 10. tr. 16. retol. 28. post Turrianum, & Petrum de Ledesma, improbabilem meritò censet contrariam opinionem Hieronymi Liams, tametsi Chroufers in Reg. S. Francisci c. 7. lect. 21. & Marcus Vidal de Ministro Sacram. inquisit. un. n. 69. & 75. eam reputent probabilem.



- 166 Nec tunc solum graviter peccat Sacerdos, dum Eucharistiae Sacramentum indignè conficit, verum etiam, tam ipse, quam Diaconus, dum illud ab alio confectum indignè distribuit. Ita S. Thomas in 4. dist. 5. q. 2. a. 2. Quia Sacramentum, Sacramentorum omnium sanctissimum, quantum in se est pollutum, & indignè tractat, dum illud tangere & dispensare non veretur in statu, in quo scit se Christi hostem, diaboli mancipium, laesaeque divinae Majestatis reum; longè proinde magis indignum contrectare Christum, & proximè ministrare in mensa ipsius, quam reus laesae regiae majestatis, qui se Regis hostem constituit, & capitalibus hostibus Regis mancipavit, indignus sit Regem contrectare, & in mensa Regis proximè ministrare. Unde mirum est nonnullos Noviores talem non damnare nisi de peccato veniali.
- 167 Cento etiam cum Navarro, Sylvestro, Angelo, Merbesio, Boudario, Farvacio, Diaconum cum conscientia peccati mortalis exequentem quod tui ordinis est in sacrificio Missae, reum esse peccati mortalis, tametsi plerique Recentiores contradicant. Tum quia id planè significat S. Thomas in 4. dist. 24. his verbis: *Quiaquid homo, quod sibi competit ex ordine, facit indignè, quod iustum est iniuste exequitur, ac propterea mortaliter peccat.* Tum quia etiam Gregorius IX. vehementer idipsum indicat supra n. 161. Tum denique quia ministerium Diaconi, assistentis Sacerdoti in sacrosancto Missae sacrificio, est functio sacra, Sacerdoti proxima, & in persona Christi exercita, tanti momenti semper habita in Ecclesia, ut ad illam Apostoli in Actis c. 6. eligi non voluerint, nisi viros plenos Spiritu sancto & sapientia, & Augustinus epist. 140. nihil esse in hac vita laboriosius, periculosius, difficilius, Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio. Item nihil eo apud Deum miserius, & damnabilius, si perfundè agatur. Tanti igitur momenti functio tam sancta, sanctè peragenda est, nec persona Christi nisi sanctè exhibenda, in cuius persona Diaconus in Missa Evangelium cantat. Cùmque obligatio ista proportionata sit sanctitati gravitatisque istius functionis; igitur est obligatio gravis. Quod & gravis ultionis paradigmata Deus declarasse videtur. Cum enim impudicus Diaconus omnem de nocte lasciviam cum scorto exercuisset, die autem insequente officium Diaconale solemniter obiret; aranea è laqueari sese ter demittens, tertià vice illum pupugit, atque enecavit, prout ex speculo exemplorum dist. 9. exemplo 110. refert Cardinalis de Lugo disp. 8. de Sacram. in genere.
- 168 Ob consimilem rationem Episcopus graviter prohibetur ad sacras functiones Episcopales, benedictionis Chrisimatis, consecrationis Altarium, & similes, utpote permagni momenti in Ecclesia, non accedere nisi sanctè. Ita Cardinalis de Lugo loco citato n. 156. loquens de Episcopali benedictione Chrisimatis, oleique infirmorum. De functione Subdiaconi, utpote sacra, & magni etiam momenti, idem censent Navarro, & alii proximè relati, tametsi id minùs certum sit, quam de functione Diaconi.
- 169 Similiter Concionator, qui ex officio praelationis, vel ex commissione praelationem habentis praedicat verbum Dei, graviter peccat, verbum Dei praedicando cum conscientia gravis sceleris. Quia verbo Dei, & Spiritui sancto per ipsum loquenti, gravem irreverentiam facit, de qua graviter conqueritur Spiritus sanctus Psal. 49. *Peccatori autem dixit Deus... quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum... arguam te, & statuum contra faciem tuam.* Sicut & Apostolus Rom. 2. *Qui alium doces, teipsum non doces; qui praedicas non furandum, furaris; qui dicis non macchandam, maccharis; qui abominaris*

*idola, sacrilegium facis: qui in lege gloriaris, per praevaricationem legis Deum inhororas.* Prædicas poenitentiam impenitens, humilitatem superbus, castitatem impudicus, virtutem vitiosus, criminaque in aliis reprehendis & iudicas, quæ ipsemet committis. *In quo autem iudicas alterum, teipsum condemnas. Eadem enim agis quæ iudicas.* Et ea quidem reprehendis & iudicas, ut speciale organum Spiritus sancti, qui, teste Christo, per Prædicatorem Evangelii loquitur: *non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Est autem gravis irreverentia in Spiritum sanctum, fungi officio specialis organi & præconis ipsius, in eo statu, in quo planè indignus es, per quem loquitur Spiritus sanctus. Ita S. Thomas in 4. dist. 19. q. 1. a. 2. in solutione q. 2. ad 4. Cajetanus 3. p. q. 64. a. 6. in respons. ad 1. Navarrus in Enchiridio. Joannes Wiggers ad q. 64. S. Thomæ a. 6. Franciscus Farvaci de Sacram. in gen. c. 6. q. 7. §. 3. Jacobus Boudartius Manual. Theol. to. 3. tr. 1. de Sacram. in genere §. 4. q. 6. Merbesius Summ. Christ. p. 3. q. 15. resol. 4. Favetque vehementer Augustinus l. 3. contra Petil. c. 56. ubi eandem conscientiae manducem in annuntiante verbum Dei requirit, atque in Sacramento ministrante.

Sed quid de exerecente, malo in statu, functione minorum ordinum, Acolythi, Lectoris, Ostiarii? Respondeo cum Doctoribus ferè omnibus non videri graviter peccare: cum functiones istæ ab Ecclesia non videantur haberi sacra (ut patet ex eo quod passim exerceantur à Laicis mercede conductis, & Religiosis non tonsuratis, nec minoribus ordinibus initiatis) & minorum ordinum illorum officia respectu sacri ministerii censentur imperfecta, ut observant Toletus, Sylvius, &c.

Specialis tamen difficultas est de functione Exorcistæ: quia gravis irreverentia videtur, velle in nomine Christi effugare diabolum, cuius sponte manes captivus & mancipium; item in eodem nomine velle imperare illi, cuius imperio & tyrannidi voluntariè te subdis. Cùm priùs eicere debeas ex tuo corde, quem eicere vis ex alieno corpore, juxta illud Pontificalis Romani in ordinatione Exorcistæ: *Ne illis succumbatis, quos ab alio vestro ministerio effugatis...* Tunc enim rectè in aliis demonibus imperabitis, cùm priùs in vobis eorum multimodam nequitiam superaveritis.

An peccet mortaliter Sacerdos in statu peccati mortalis confessiones audiens? Negant Cardinalis de Lugo ubi supra n. 159. & 160. Jacobus Marchantius in resol. pastor. tr. 1. c. 4. n. 3. Gobat de Sacram. in genere tr. 1. n. 55. modo contritionem elicit ante absolutionem. Sed conformiter ad præmissa affirmandum videtur: eò quòd Sacerdos non solum absolvendo, verum etiam confessiones sacramentales audiendo, Christi personam sustineat, functionemque sacramentalem permagni in Ecclesia momenti exerceat.

CAPUT XVII.

*Minister sibi conscius peccati mortalis, tenetur sacramentaliter confiteri, priusquam Sacramentum quodcumque administret, si Confessarii copia non desit, & necessitas statim succurrendi proximo extreme periclitanti non obstit.*

**I**Ta sentio cum Catechismo Romano, Synodisque Cameracensi, Atrabatenfi, & Iprensi, n. 178. referendis. Molano tr. 1. de poenitentia c. 9. Adriano in 4. de confess. con. 8. Jacobo Bajo lib. institut. c. 29. Farvacio ubi supra q. 6. Authore conferentiarum eccles. Diocesis Lexovient. p. 3. conf. 3. q. 2. sub finem, Francisco Geneto Theol. Moral.

Moral. to. 3. c. 6. Boudartio ubi suprâ q. 7.

Et ratio est: quia sicut reverentia Sacramento debita prohibet illud administrare indignè, ut constat ex dictis cap. præcedenti: sic prohibet Ministro exponere se certo, vel etiam valdè probabili periculo illud administrandi indignè. Sed quodcumque Minister, confectus peccati mortalis, illud non confiteatur, habens tempus confitendi, copiamque Confessarii, exponit se certo, vel saltem valdè probabili periculo illud administrandi indignè. Quicumque enim Minister, sciens se rem peccati mortalis, neglecto certo suæ justificationis remedio, contentus est valdè incerto, exponit se certo, vel valdè probabili periculo Sacramento administrandi in illo reatu, arque aded in statu indigno. Cum ab illo statu indignitatis liberari nequeat, nisi vel beneficio perfectæ contritionis, vel beneficio sacramentalis absolutionis. Si ergo neglecto beneficio sacramentalis absolutionis, contentus sit beneficio contritionis, neglecto certo suæ justificationis remedio, contentus est valdè incerto. Quandoquidem remedio contritionis justificari nequeat, nisi contritio sua sit perfectæ. Atqui perfectæ contritio aded incerta est, ardua, difficilis, & rara, ut pauci admodum habeant illam. *Uti enim hoc concedamus, contritione peccata deleri* (ait Catechismus Romanus p. 2. c. 5. q. 32.) *quis ignorat illam aded vehementem, acrem, incensuram esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit? At quoniam pauci admodum ad hunc gradum perveniunt, &c. Valentia quoque disp. 7. q. 8. de contrit. fatetur contritionem perfectam difficillimè haberi. Herinx etiam tr. de Sacram. disp. 3. q. 9. n. 9. testatur, quòd contritio perfectæ sit valdè ardua, & difficilis, & plerumque satis incerta. Joannes Rossensis in respons. ad art. 16. Lutheri: Nemo (ait) de sua contritione certus esse potest, quòd ea sit omnino sufficiens. Thomas Morus in libello de Sacram. adversus nascentem Lutheri hæresim: Nemo mortalium moris quantum contritionis exigat peccatum mortale. Et ante omnes illos Angelicus Doctor 3. p. q. 80. a. 4. ad 5. Homo per certitudinem scire non potest, utrum sit verè contritus. Sicut ergo administrans Sacramentum in materia vel forma incerta, relicta certâ, cujus habet copiam, sacrilegè exponit Sacramentum periculo nullitatis; sic administrans Sacramentum cum remedio suæ indignitatis incerto, relicto certo, cujus habet copiam, sacrilegè exponit se periculo indignæ administrationis. Nec tunc excusatur per hoc quòd illud administraret probabiliter dignè; magis quam in casu proxime dicto excusatur per hoc quòd illud administraret probabiliter valdè. Cum probabilitas illa non magis absterget periculum administrationis indignæ; quam probabilitas illa absterget periculum administrationis invalidæ. Sicut enim materia vel forma verè invalida, nequit fieri valida per probabilitatem valoris ipsius; sic contritio verè insufficientis ad justificandum & dignificandum Ministerium, nequit fieri sufficiens per probabilitatem sufficientiam ipsius; sed ad hoc necesse est ut habeatur contritio verè talis ac tanta, qualem & quantum Deus requirit ad justificationem peccatoris. Et hinc argumentum multipliciter inlauratur & confirmatur.*

174 1<sup>o</sup>. qui sacrilegè se exponit periculo administrationis invalidæ, qui habens ad manum materiam vel formam certam, siue certæ valoris, eâ neglectâ, adhibet solum probabilem, incertam, & minus tutam. Similiter ergo sacrilegè exponit se periculo administrationis indignæ, qui habens ad manum certam viam administrandi dignè, eâ neglectâ, eligit solum probabilem, incertam, & minus tutam. Hoc autem facit, qui confectus peccati mortalis, negligit viam confessionis, & eli-

git viam solius contritionis.

2<sup>o</sup>. sacrilegè Sacramentum administrat, qui illud administrat incertus de valore, cum administrare possit cum morali certitudine de valore. Similiter ergo qui illud administrat incertus de sua dignitate, seu statu gratiæ, cum administrare possit cum morali de ea certitudine. Neque enim Sacramentum sanctè administrat, qui sciens & volens absque necessitate administrat illud, incertus an non sit inimicus Dei, membrumque diaboli.

3<sup>o</sup>. tametsi ipsam contritionem subinde contingat esse charitate perfectam, hominemque Deo reconciliare, priusquam Penitentia Sacramentum actu suscipiatur; nihilominus Concilium Tridentinum sess. 14. c. 4. declarat, *reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, non esse adscribendam, voto utique serio, & quantum est ex se efficaci suscipiendi illud, cum primum commodè fieri poterit. Sed non habet ejusmodi votum, qui Penitentia Sacramentum suscipere negligit, cum possit ante Sacramenti administrationem commodè illud suscipere. Nec sufficit, quòd habeat votum suscipiendi illud in Paschate. Alias possit subinde per annum differre, & interim quamplurimos quotidie baptizare, absolvere, communicare, ungere, &c. Quod videtur nimis laxum. Quâ enim fronte audeat toties alios reconciliare incertus de sua reconciliatione? Quâ fronte audeat toties, & tamdiu Christi personam sustinere, incertus an non sit Christi hostis? &c. Quâ fronte audeat toties ad functiones sacrarum omnium sacratissimas toties accedere, incertus an non accedat indignè?*

4<sup>o</sup>. ne Eucharistia Sacramentum indignè sumatur, siue ad evitandum indignæ sumptionis periculum, Sacerdos sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione prohibetur celebrare, & Laicus communicare, ut constat ex Tridentino sess. 13. cap. 7. & can. 11. modo (inquit) non desit illi copia Confessoris. Quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur, ait Concilium ibidem, idque non consulendo, sed præcipiendo, prout Alexander VII. declaravit 18. Martii 1666. damnando contrariam propositionem 38. ex 45. Et ita quidem ut illa particula *quamprimum* intelligatur ut idem sit quod primâ oportunitate; non autem cum Sacerdos suo tempore confitebitur, prout idem declaravit propof. 39. Eadem igitur obligatio est pro illis Sacramentis. Tametsi enim tantò diligentius caveri debeat accessus indignus ad hoc Sacramentum, quanto major est sanctitas ipsius præ reliquis; equidem ad reliqua etiam Sacramenta administranda accedere non licet nisi sanctè, ut ibidem dicitur; nec proinde ad ea accedere licet sine dispositionibus, quas Tridentinum necessarias censet ad vitandum morale periculum indigni accessus. Cum igitur Tridentinum censuerit accedere cum fito periculo, qui accedit non præmissâ sacramentali confessione, quantumcumque se contritum existimet, argumentum n. 173. pro assertionem nostrâ confectum judicio suo confirmavit. Dumque, ad vitandum istud periculum, definiit necessariam esse confessionem, accedere volenti ad Eucharistia Sacramentum, si conscientiam suam mortali crimine gravatam sentiret, quantumcumque se contritum existimaret: Theologis argumentum suppeditavit, inferendi, ad idem periculum vitandum, necessariam pariter esse confessionem, accedere volenti ad Sacramentum quodcumque administrandum, si conscientiam suam mortali crimine pariter gravatam sentiret, quantumcumque se contritum existimaret. Cum

sciens & volens, absque necessitate non magis exponere se possit morali periculo Sacramenta indignè ministrandi, quam Eucharistiam indignè suscipiendi. Quod enim Tridentina Synodus ad evitandum morale indigni accessus periculum, confessionem ad sanctissimum Eucharistiae Sacramentum accedentibus necessariam censuerit, ipsamet Synodus aperte declaravit tam capite illo 7. (ubi, pro motivo suae quoad hoc definitionis, allegat illa plena formidinis verba apud Apostolum, qui manducat, & bibit indignè, &c.) quam can. 11. ubi expressè declarat, *ne tantum Sacramentum indignè, atque idè in mortem & condemnationem sumatur, statuit & declarat S. Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habità copiâ Confessoris, necessariò præmittendam esse confessionem sacramentalem.* Nec poterat aptius declarare necessitatem confessionis, ad certitudinem recuperatæ post mortale peccatum satisfacti, ac per consequens neminem sine ea, præsumere posse de sufficientia suae contritionis, quantumcumque se contritum existimet. Quod idè Tridentinum censuit, quia, ut n. 176. dixi, contritio ad peccatoris justificationem nequit esse sufficiens, dum is quem conscientia peccati mortalis gravat, habens commoditatem confitendi, eam negligit: cum ad hoc ut sufficiat, includere debeat sinceram efficacque votum confitendi quamprimum, atque adè non negligendi confessionem, quamprimum se illius commoditas obtulerit, (ad quod significandum, Sacerdotem urgente necessitate absque pravâ confessione celebrantem declaravit debere quamprimum confiteri.) Perspicuum verò est non habere sincerum efficacque votum confitendi quamprimum, qui non confitetur quamprimum, dum commodè potest, sive qui negligit confessionem, cujus habet commoditatem.

178 Meritò proinde Catechismus Romanus p. 2. c. 5. q. 39. sic ait: *Si quid salutis nostrae ratio postulet consideremus, profecto quoties vel mortis periculum imminet, vel aliquam rem tractare aggredimur, cujus tractatio homini peccatis contaminato non conveniat, veluti cum Sacramenta administramus, aut percipimus, toties confessio præmittenda non est.* Quod etiam traditur in Synodo II. Cameracensi c. 7. in Synodo Atrabateni tit. de peccat. & remiss. in Synodo Iprensi tit. 11. ut refert Sylvius hic q. 64. a. 6. Et his conformiter S. Carolus Borromeus in actis Ecclesiae Mediolanensis p. 4. Sacerdos ad Sacramentum administrandum vocatus, *primum sollicitè & intimè re cogitare debet, an alicujus peccati mortalis.... sibi conscius sit. Quod si reum se ipse novit, prius sacramentali confessione se exipare studebit, contritionem certè habere quam diligentissimè curet, si scilicet copiam non habeat Confessoris.*

## CAPUT XVIII.

*Peccatori occulto, publicè petenti, Minister negare non debet Sacramentum. Sed illud negare debet peccatori occulto, occultè petenti, sicut & peccatori publico, sive occultè, sive publicè petat. Nec metus mortis excusat administrationem scienter factam indigno, nisi nec simulatam Sacramenti administrationem.*

179 **P**eccatori occulto, publicè petenti, non esse negandum Sacramentum, Christianae Religionis lex est, in Christi exemplo, perpetuoque Ecclesiae usu, & traditione fundata: cum enim Christus fecit indignitatem Judae, ipsi nihilominus publicè, sicut aliis, divinisimum Eucharistiae Sacramentum præbuit, nec ipsum velut canem

repulit, ne ipsum publicè diffamaret. Suo proinde exemplo docuit, publicè non esse repellendos, ut canes, nisi canes, seu peccatores publicos. Quod & traditur cap. *si Sacerdos* de offic. Judic. ordin. cap. *si tantum*, & cap. *placuit* 6. q. 2.

Peccatori tamen occulto, occultè petenti, Sacramentum idè negari debet, quia scriptum est, sancta non esse porrigenda canibus, nec margaritas spargendas ante porcos.

Ob quam etiam rationem peccatoribus publicis, seu occultè, seu publicè petentibus, negandum est Sacramentum, nisi sufficientia dederint signa poenitentiae, eaque publica, si publicè petant. Cum id necessarium sit ad removendum scandalum. Videri potest cap. *pro dilectione* de Consecr. dist. 2. Cyprianus epistola 10. 11. & 12. Chrysostomus homil. 83. in Matth. Cum quibus alii Patres passim omnes assercionem nostram tradunt, Sacramentique Ministrum admonent, cum Apostolo 1. Cor. 4. *Hic jam quaritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.*

Chrysostomi verba digna sunt quae hic excribantur: *Ad vos (inquit loco citato) sermonem convertere necessarium est, ut multo cum studio haec dona distribuatis. Non parva vobis imminet ultio, si quemquam, ullius culpe consci, hujus mensae (idem est de quocumque alio Sacramento) participem esse faciatis. Sanguis ejus de manibus vestris exquiretur. Sive quis dux militiae sit, sive praefectus, sive princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, prohibe. Majorem illo potestatem habes. Propterea vos Deus hoc insigavit honore, ut talia discernatis. Haec vestra dignitas est, haec securitas, haec omnis corona, &c.*

Tenetur tamen Sacerdos præbere Sacramentum peccatori occulto, seu publicè, seu occultè petenti, cujus indignitatem ex sola novit confessione sacramentali (tamen Leander à SS. Sacramento de poenitentia disp. 10. q. 71. alique apud ipsum existimant ad id non teneri, si petat occultè.) Si enim neget, peccatori extra confessionem exprobrat peccatum ex sola confessione notum. Quod si foret licitum, odiosum redderetur Poenitentiae Sacramentum. Ita Sylvester, Navarrus, Bannez, Cardinalis de Lugo, & passim alii.

Extra hunc casum, tam discretè prohibemur conferre Sacramentum peccatori occulto, occultè petenti, sicut & publico, publicè petenti, ut ob nullum proprium interesse, liceat contrafacere, & ne quidem metus mortis, damni, aut infamiae gravissimae excuset administrationem indigno factam. Quia ubi agitur de gloria Dei, deque reverentia debita sanctitati mysteriorum Religionis nostrae, timenda non est amissio honoris nostri, nec bonorum, nec vitae, ut constat ex eo quòd Sacerdos gladio districto compulsus ad Eucharistiam projiciendam porcis, vel in cloacam, teneatur vitam amittere potius quam id facere: impius verò coram Deo abominabilior est quolibet porco, vel cloacæ. Si ergo ad vitandam mortem non liceat S. Eucharistiam tradere porcis, nec in cloacam projicere; nec licet eam porrigere impiis, tamen contra sentiant Suarez disp. 67. in fine, Bonacina hic disp. 1. q. 6. puncto 4. Gobat tr. 1. de Sacram. in genere n. 272. & Dicaltillo apud ipsum.

Quorum opinio non videtur concordare cum doctrina Sanctorum, tradentium ignavam esse perfidiam, metu mortis, vel amissionis fama, vel bonorum, codices sacros impiis tradere, mortemque ex christiana fortitudine subeundam potius quam ejusmodi ignaviam committendam. Per consequens enim censuisse videntur, ignavam esse infidelitatem dispensationis Sacramenti, illud impius prostituere, martyriumque ex christi

stiana fortitudine potius subeundum, quam talis infidelitas committatur. Et nunquid Judas mortem subire potius debuisset, quam Judæis Christum tradere? Sicut ergo infamem proditoris seu traditoris notam haud vitasset, tametsi metu mortis ipsum tradidisset; sic eandem notam minime evadit, qui eundem Christum, in Eucharistiæ Sacramento, metu mortis, Judæis traderet. Ergo nec qui impiis tradit, &c.

186 Propterea Martinus Perez de matrim. disp. 17. sect. 12. n. 13. ait, certum esse, ob nullum metum fas esse Sacerdoti absolvere illum, quem novit indignum, seu indispositum. Ergo nec fas est, ob ulum metum, Eucharistiam, Confirmationem, Extremam Unionem, Ordinem administrare indigno.

187 Negat quidem consequentiam hanc Gobat loco citato n. 273. quia quatuor ista Sacramenta verè equidem recipiuntur ab indigno. Non sic absolutio. Quam qui dat indigno, falsò dicitur absolvo te. Falsum verò scienter dicere, est mentiri. Quod est intrinsecè malum.

Sed contrà 1<sup>o</sup>. sequitur ex ista solutione, taliter absolventem, solum peccare peccato mendacii. Quod cum non sit perniciosum, respectu non habentis jus ad absolutionem, si aliam malitiam contra reverentiam Sacramenti annexam non habeat, non erit mortale, sed veniale dumtaxat: neque enim mendacium non perniciosum, ad vitandam mortem sibi comminatum perpetratum, seclusà alià malitià, est plusquam veniale. Sequitur ergo ex doctrina Gobatii, scienter absolventem indignum, ex metu mortis, solum venialiter peccare. Quod cum dici nequeat, dicendum taliter absolventem non solum peccare, quia mentitur, sed & quia sacrilegus est, infertque gravem irreverentiam Sacramento Penitentiae, seu illius Authori. Quam etiam infert, quatuor illa Sacramenta conferens indigno.

188 Contrà 2<sup>o</sup>. sicut est intrinsecè malum scienter absolvere eum, quem absolutionis veritas non permittit absolvere; ita & quatuor illa Sacramenta scienter administrare illi, cui religio Sacramentis illis debita non permittit administrare. 3<sup>o</sup>. scienter illa administrans indigno, factò scienter loquitur falsum; sicut scienter absolvens indignum, verbo scienter loquitur falsum. Quia factò suo, ex institutione Christi, significat se sanctitatem conferre illi, cui Sacramenta illa administrat (utpote à Christo instituta, ut usu suo sanctificent suscipientem) igitur factò suo significat se sanctificare illum, quem scit indignum sanctificatione. 4<sup>o</sup>. sicut est intrinsecè malum scienter administrare Sacramentum incapaci Sacramenti; ita & scienter administrare Sacramentum incapaci effectus Sacramenti, non habenti jus ad Sacramentum.

189 Consultò addidi: non habenti jus ad Sacramentum. Quòd enim Sacramentum Eucharistiæ ministrari possit, imò debeat, occulto peccatori, publicè petenti. Est tum quia in publico jus habet ad famam, ac per consequens ad Sacramentum sibi non negandum, iis in circumstantiis, in quibus denegatio foret ipsius diffamatio. Tum quia Sacerdos, in publico distribuens Eucharistiam, agit officium publici dispensatoris; qui ex officio tenetur omnibus baptizatis (Ecclesiæ communionem habentibus) eam publicè petentibus dispensare, nisi publico iudicio vel notorietate criminis ab ea sint exclusi. Graviter enim contra iustitiæ ordinem peccaret, si, nullà præcedente formâ iudicii, nec criminis notorietate, aliquem fidelem destitueret jure communionis, quod fidelis quisque non excommunicatus, nec peccator publicus habet. In hoc proinde casu Eucharistiam dispensando, cooperari non censetur irreverentiæ

Tom. III.

Sacramento illatæ: quia illud non dispensat ex propria voluntate, potens licitè non dispensare; neque intuitu proprii interesse; sed ad servandas leges religionis nostræ. Aliàs enim, ubi de solo proprio interesse agitur, secundum allatam doctrinam Sanctorum, ignava est infidelitas Sacramentum impio tradere.

Sed numquid licitum est, ex metu mortis, absolutionis formam, absque intentione absolvendi, scienter pronuntiare super poenitente indisposito? Respondeo negativè cum communi, certaque sententia, contra Joannem Sancium in select. disput. 37. & Ludovicum Scildere in Thesi anno 1648. Lovanii propugnata; 1<sup>o</sup>. quia non est licitum, ex metu mortis, simulare administrationem Sacramenti, adhibita quidem formâ necessariâ, sed non adhibita materiâ necessariâ, vel adhibita materiâ & formâ necessariâ super subiectum, quod sicut incapax Sacramenti, v. g. rebaptizando hominem ritè baptizatum. Ergo nec omitendo intentionem debitam.

2<sup>o</sup>. opinio contraria Sanctii ab Innocentio XI. 191 damnata est propositione 29. inter 65. ex ipso Sanctio desumpta: *Urgens metus gravis est iuxta causam Sacramentorum administrationem simulandi.* Ex cujus damnatione sic arguere licet: secundum Innocentium XI. urgens metus gravis non est iuxta causam Sacramentorum administrationem simulandi. Ergo nullus metus gravis, ne quidem mortis, est iuxta causam Sacramentorum administrationem simulandi. Enimverò in metu mortis exemplificat loco citato Sanctius, ex quo damnata propositio de prompta est; propositioque ipsius est indefinitè proscripta; contradictoriaque proinde ipsius indefinitè, adeoque universaliter est vera. Et sicut hoc ipso quòd indefinitè illicitum declaratur, ex metu gravis mali negare Christum, idipsum illicitum declaratur ex metu mali quantumcumque gravis; sicut item hoc ipso quòd indefinitè illicitum declaratur conferre beneficium pro magna pecuniæ summa, declaratur illicitum conferre beneficium pro summa quantumcumque magna; ita hoc ipso quòd, secundum indefinitam Ecclesiæ declarationem, illicitum est ex metu gravis mali simulare administrationem Sacramentorum; id illicitum est ex metu mali quantumcumque gravis, &c.

Et ratio à priori est, quia simulatio illa est abusus potestatis supernaturalis, seu divinitus concessa, non ad simulandum, sed ad sanctificandum subiectum. Fit ergo sacrilega injuria & irreverentia Sacramento, seu illius Authori, dum sic ponitur forma, seu pars essentialis Sacramenti, ad conficiendum Sacramentum ordinata, ut per simulationem impediatur ne sit Sacramentum. Neque enim tunc solum injuria fit Sacramento, seu illius Authori, quando est Sacramentum; verum etiam quando sic ponitur aliqua ex partibus essentialibus Sacramenti, præsertim forma, ut impediatur ne sit Sacramentum, ad quod pars illa essentialis ordinatur ex institutione Christi. Sicut damnum non solum inferitur proli, quando est proles; verum etiam quando sic effunditur semen, ut impediatur ne sit proles, ad quam feminis effusio ordinatur, v. g. dum semen extra vas effunditur.

Quòd si à peccato excusetur, qui ex metu gravi injusto matrimonium contrahit, esto Sacramentum nullum efficiat. Idèd est, quia tunc neque ponitur materia, neque forma Sacramenti Matrimonii. Siquidem materia & forma illius est contractus legitimus, qui, in quantum traditio corporum mutua, est materia; in quantum acceptatio mutua, est forma. Tunc autem deficit contractus legitimus ob canonicam inhabilitatem metum illum patientis ad sic contrahendum.

## CAPUT XIX.

*Omnes curam animarum habentes, ad ministrandum Sacramenta sapè tenentur, cum periculo mortis.*

194 **C**uram animarum habentes jure divino teneri ad pascendum oves suas administratione Sacramentorum, Tridentinum sess. 23. c. 1. de reformat. declaravit aureis hisce verbis; quæ utinam majusculis litteris exscripta forent in tabula exposita in camera omnium Parochorum: *Præcepto divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbisque divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac honorum omnium exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere.*

195 Porro omnes curam animarum habentes ex justitia teneri ad Sacramenta ovibus suis ministranda. Doctores conveniunt. Ad id quippe tenentur sive ex officio, sive ex beneficio ecclesiastico. Nec ad id dumtaxat tenentur rogati, verum etiam sapè non rogati. Tenentur enim infirmas oves suas visitare, & videre an non indigeant Sacramentis (dum morbus est periculosus) eaque ipsis ministrare, atque ipsos ad suscipiendum urgere. Tolerus lib. 5. c. 5.

196 Nec Parochi tunc solum tenentur Sacramenta ministrare, dum oves ad ea suscipienda divino, vel ecclesiastico præcepto tenentur; sed & dum ea postulant ex discretâ, rationabilique devotione. Cum idè ab ovibus carnalia metant, ut spiritualia ipsis seminent. Doctores communiter. Ministrare nolentem Possénius de officio Curati c. 5. cum Bonacina damnat peccati mortalitatis. Tametî Nugnus semel & iterum reculantem solum damnet venialis.

197 *Quicumque verò diei, vel noctis horâ ad Sacramenta infirmis ministranda Parochus vocabitur (ait S. Carolus Borromæus act. p. 4. de Sacramentorum administratione) eum præcipuum ejus munus, cujus causâ à reliquo populo separatur, ab Ecclesiæque sustentatur, præter cætera, eorum administratio sit, nullam tam sanctis pietatis officii moram interponet. Imò populum sepe numero, prout occasio tulerit, accuratè præmonebit, ut cum opus est parochiali administratione, atque officio, se quamprimum & libere accersat, nullâ habitâ nec temporis, neque loci distantis, neque alterius cuiuscumque incommodi ratione; nec proinde vereantur ipsum de nocte accersere, nec tam serò, ut periculum sit expectandi tempus quo infirmus nonnisi ægerimè loqui, vel nutibus dolorem de peccatis significare poterit. Ad ingerendam verò ipsum accersendi fiduciam, eum accersetur, tantum abest, ut verbis, vel vultu, vel alio signo ostendat, se gravatè iturum. Qui potius, illius, cui ministrare debet, salutis desiderio se accensum patrem præbens, verborum benignitate, vultuque hilarit, charitatem paternam significante, & libentissimè, & ut potest celerimè accedat.*

198 In Concilio autem Mediolanensi V. in Constitutionum p. 2. de cura pestilentie sub tit. de præsentia & constantia omnium, sic habetur: *Parochi autem, animarumque Curatores, tantum abest, ut necessario eo tempore, populum, cujus curam gerunt, aliquo modo destituant; ut sua animi deliberatione sibi statuendum putent, omnia prorsus, etiam mortis, pericula paratissimo animo subire potius, quam fideles Christi sanguine redemptos, ac sibi præcipue in curam traditos, in summa penæ omnium adjumentorum penuria deserere.*

199 Enimverò Parochos, aliosque animarum cu-

ram habentes, teneri contagioso morbo laborantibus necessaria Sacramenta, cum evidenti periculo mortis, administrare, communis est traditio Sanctorum, sic intelligentium illud Christi oraculum Joan. 10. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Videri possunt Augustinus, Chrysostomus, & alii apud Chapeaville de Sacram. temp. pest. administr. cap. 1. q. 3.

200 Ipsumque ad id teneri abique ulla controversia Doctores conveniunt, dum parochianus est in extrema necessitate, v. g. dum infans alioqui moriturus est absque Baptismo, vel adultus, homorudis, non satis instructus est pro contritione elicienda. Tunc enim curam animarum habens non solum ad id tenetur ex charitate, quâ jubetur animam proximi plus diligere, quàm corpus proprium; verum etiam ex justitia, ex officio utique boni Pastoris. Et quia ad id ab Ecclesiâ sustentatur.

Imò ad idem, ex officio Pastoris, cum periculo vitæ tenetur, in gravi etiam necessitate ovium suarum, in qua utique proximus, in mortali constitutus, sibi quidem absolute consulere potest, per ætè contritionis, sed non sine magna difficultate. Eò quòd perfectæ contritionis æctus sit valde arduus & difficilis, paucique per illum sine actuali Sacramenti susceptione salventur; solumque probabile, non certum sit, per attritionem in articulo mortis justificari eum qui vult, sed non potest recipere Sacramentum. Accedit, quòd pluribus peccatoribus attritio ex toto corde difficilis sit, præsertim in morbo vehementi, magnaque corporis & animi debilitate, dum non solum morbi molestia, sed & amor vitæ, timorque & horror mortis, & futurorum, ipsos vehementer distrahunt & conturbant. Et etiam difficultas ista proveniat ex aliqua culpa ipsorum; alienum est à veritate quòd nonnulli Recentiores putant, necessitatem ex culpabili voluntate proximi proveniente non obligare ad ipsis subveniendum cum periculo vitæ. Quia dum culpa ista non est ex pura malitia, sed ex ignorantia, vel infirmitate, ex eaque proximus constitutus est in gravi periculo damnationis æternæ, præceptum charitatis obligat ut ei subveniamus. Et quamvis omnes ad id non tenerentur, fâtem Pastores ex charitate & officio tenerentur, utpote amplius obligatos, quàm reliqui Sacerdotes. Qui cum ad id teneantur in extrema necessitate, Pastor tenetur etiam in gravi. Ita S. Thomas 2. 2. q. 185. a. 5. Barbosa de Parocho p. 2. c. 17. n. 12. & (ipso teste) Doctores communiter.

202 Proinde non Pastorem, sed mercenarium esse ostendit, si tempore peitis, quo periculum evidens est ne lupus oves rapiat, spiritualibus, imò humanis penè adjumentis destitutas, ipse tunc fugiat, gregemque suum deserat, nisi alium idoneum de licentia Episcopi substituat, qui curam habeat gregis sui. In hoc enim verus Pastor à mercenario discernitur, quòd verus Pastor animam suam dat pro ovibus suis; mercenarius autem, & qui non est Pastor, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit. Verus Pastor non sua quarit, sed salutem gregis sui; mercenarius verò non gregis salutem, sed sua quarit: seipsum proinde magis pascit, quàm gregem. Terribile est quòd hujusmodi Pastoribus Dominus comminatur Ezech. 34. *Vae Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos: nonne greges à Pastoribus pascebantur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini. & quod crassum erat occidebatis; gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ærotum non sanastis, quod contractum est non alligastis, & quod abscessus est non reduxistis, & quod perierat non quaesistis; sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.*

*Et disperse sunt oves meae, eo quod non essem Pastor: & facti sunt in devotionem omnium bestiarum agri, &c.*

203. Nec grave peccatum evadit Pastor, tempore pestis fugiens, alium idoneum de licentia Episcopi substituendo, nisi corpore absens, sit animo praesens, providendo ut substitutus officio ritè fungatur. Barbosa ubi supra n. 13.

204. Et quamvis varii Recentiores censent, ipsum, cum periculo vitae, solum teneri administrare Sacramenta quae sunt absolutae necessitatis, Baptismum scilicet & Poenitentiam. Dicendum cum Gabriele, Joanne Eckio, Chapeaville, Sylvio, Marchantio, Nugno, Merbeño, Boudartio, & Rituali Cameracensi, teneri ex iustitia ministrare etiam Viaticum, Extremamque Unctionem (tametsi sufficiat, in morbo contagioso, ungere celeriter quinque sensuum organa, in capite dicendo semel: per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulget tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum, prout idem Rituale observat) nisi speciales circumstantiae postulent, ut à periculo inde sibi imminenti, se eximat pro salute plurimorum, aliqui mortuorum sine Sacramentis, quae sunt absolutae necessitatis. Enimvero tamen Viaticum, extremaque Unctio non sint absolutae necessitatis, in quantum absolute necessaria non sunt ad primam gratiam comparandam; sunt tamen moraliter necessaria ad gratiam conservandam. Et Viaticum quidem ad ambulandum in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei; Extrema vero Unctio ad armandum militem Christi ad extremam cum diabolo luctam, unde pendet aeternitas.

205. Et propterea utrumque illud Sacramentum est de necessitate praecepti divini (ad cuius observantiam Parochus ex officio tenetur cooperari) Viaticum quidem, juxta illud Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis perseverantem vitam in vobis.* Extrema vero Unctio, juxta illud Jacobi 5. *Infirmum quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, & orent super eum, ungentes eum oleo, &c.* Quod Catechismus Romanus p. 2. n. 17. censet esse praecepti, dum ait, gravissimè peccare, qui differunt unctionem infirmis, donec jam visus & sensibus carere incipiat. Et n. 16. ait, hanc unctionem non ab Apostolis inventam, sed à Domino praeceptam. Similiter Tridentinum sess. 14. c. 3. de Extr. Unct. declarat, hanc unctionem infirmis adhibendam; nec audiendos, qui de ea negant mandatum Dei, vel à fidelibus sine peccato contemni posse affirmant. Haec enim omnia manifestissimè pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis. Quae etiam causa fuit sancto Carolo Borromeo in Concilio V. Mediolanensi tit. XI. statueri: Caveat Parochus, ne in Sacramento Extremae Unctionis ministrando negligentiam, ullamve mora culpam contrahat: alioqui si ad illius ministracionem accessus ire neglexerit, tam rationem Deo reddet, tam poenà ab Episcopo graviter plectetur. Eadem causa fuit, propter quam sanctissimus Episcopus Malachias (ut refert in ejus vita S. Bernardus, & ex Bernardo S. Carolus ibid.) tam vehementi animi dolore ex eo affectus est, quod culpà suà mulier quaedam Sacramenti hujus gratià fraudata decesserit, ut totam noctem orando, gemendo, lacrymando consumperit, lacrymarumque vi, quasi maximo timore, pro oleo sancto quod non ministrarat, mortuum perfuderit; manè autem exaudivit Dominus Sanctum suum, ita ut illa è morte, tamquam è somno excitata, è lecto se erigens, Sacramentum hoc acceperit ab eo, ac deinceps à morbo convalescit.

206. Consideravit utique sanctus ille Episcopus,

quam necessario divina misericordia praesidio mulierem fraudasset, non ignorans, quod clementissimus Redemptor noster (ut ait Tridentinum loco citato) Extremae Unctionis Sacramenta finem vitae tamquam firmissimo quodam praesidio munivit. Nam est adversarius noster occasionem per omnem vitam quaerit, & capiet, ut devorare animas nostras quo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suae versutiae nervi intendat ad perducendam nos penitenti, & à fiducia etiam, si possit, divinae misericordiae disturbandos, quam cum impendere nobis vitae exitum perspicit. Tanto ergo dolore affectus fuit, tot lacrymas fudit, quod eo Sacramento mulierem defraudasset (quod Sacramentum exeuntium è vita specialiter nuncupatur, singularique Christi beneficio pro eo articulo institutum est, unde salus aeterna dependet) per quod delicta, & peccatorum reliquia non solum abterguntur, corporalisque sanitas, dum saluti expedit, restituitur, sed & aegrotantis anima corroboratur, ut morbi molestias patienter ferat, in extremaque cum daemone lucta non deficiat, ita ut non dubium sit, quin plures animae, de quibus iusto Iudici ratio reddenda est, hujus Sacramenti subsidio salventur, alias damnandae; plures etiam defectu ipsius damnentur, quae alias salvatae fuissent. Tum quia in extrema lucta deficiunt, quae non defecissent, si hoc divino subsidio fuissent roboratae. Tum quia plures primam gratiam vi hujus Sacramenti per accidens consequuntur, eoque privatae in peccato moriuntur. Et propterea Ecclesiae sensus semper fuit, Parochos ad ministrandum peste laborantibus duo ista Sacramenta teneri, solentque Episcopi ipsos ad id compellere. Sicut & solent pii fideles scandalizari multum, dum vident Parochum utque adeo decretere parochianos suos, contagioso morbo laborantes, ideoque penè ab omnibus derelictos, ut finat ipsos sine Sacramentis illis è vita discedere. Quod ne fieret, Patres nostri (inquit S. Carolus Borromeus in oratione, quam grassante Mediolani peste habuit ad sacerdotes universos) *Dei spiritus incitati, grassante peste mortis periculum adierunt, & ita faciendum docuerunt: quemadmodum ex Veterum scriptis, jussu nostro collectis, edisique satis apparet.*

Atque ut ad opus tantae charitatis, nedum Parochos, sed & ceteros Sacerdotes inflammarent, opus ejusmodi ita exsulerunt (pergit sanctissimus Cardinalis) ut martyrii genus esse confirmarent. *Operabile sane tempus, quo atque tyranni crudelitate, sine equuleis, sine ignibus, sine bestis, & omnino sine illa cruciatuum asperitate (qua humanae imbecillitati maxime solet esse formidabilis) martyrii palmam consequi possumus. Imò & sine ea acerbitate possumus, quae solet semper cum hujusmodi morbo esse conjuncta, ut agri desituantur ab omnibus, nulliusque ope subleventur. Quod agro cuiusque dabitur, id minus minus negabitur agrorum Patri, nobisque imitatio proderit illius exempli, quod per nos proditum fuerit. Sperare quisque incolumem se fore, id multo majore ratione, quam alii ferè innumerabiles, quos viderimus nullà cautione, nullà etiam temperantia, in medio pestilentiae aestu assidue versari.*

208. Quod verò S. Carolus opus illud ex doctrina Sanctorum, martyrii genus appellat, inde confirmatur, quod eos qui vel ex mera charitate, vel ex charitate simul & officio, in ministerio peste laborantium oppetunt mortem, ut martyres fidelium pietas venerari solet, & eorum pietati Catholicae Ecclesiae suffragium accedit, dum ejusdem pietatis laudabilem memoriam facit, pridie Kalendas Martii, his verbis: *Alexandria commemoratio sanctorum Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani*

Imperatoris, cum pestis seuerissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes, libentissime mortem appetiere. Quos velut martyres religiosa piorum fides venerari consuevit.

209 De iisdem Dionysius Episcopus Alexandrinus in epistola ad Hieracum Episcopum cap. 22. (quæ videri potest apud Eusebium Pamphili. Histor. Eccles. lib. 7. c. 20. 21. 22. Edit. Valesii) sic ait: Neque à nobis abstinuit laes illa, licet in Gentiles plurimam sit grassata. Plurimi quidem ex fratribus nostris, ob nimiam charitatem, curam omnem propria salutis abicientes, sibi que mutuo adhaerentes, dum egros securè atque audacter inuisunt, eis que assidue ministrant, & curationem adhibent in Christo, una cum illis interierunt. Et hoc quidem pacto optimi quoque ex fratribus nostris, quorum nonnulli erant Presbyteri, alii Diaconi, & alii ex populo laudatissimi, mortem appetiere. Adde ut hoc mortis genus, ob pietatem fideique constantiam, martyrio nequaquam inferius habeatur.

210 Videat Parochus, an æquum sit, propter modicum corruptibilis vitæ, subditos ultimis defraudare Sacramentis, quorum defectu contingit plures, etiam paulò antè confessos, in ultima lucta deficere, atque ad eò in æternum perire; quibus si subuenisset, ultimaque illa subsidia non denegasset, & ipsi beatam æternitatem procurasset, & sibi martyrii palmam promerisset, implevissetque Dominicum præceptum, dandi pro ovis animam suam, sicut & illud quod scriptum est Luc. 9. Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet illam. Nam qui perdidit animam suam propter me, inueniet eam. Debet ergo tunc perdere animam suam, si velit eam salvam facere. Tamen si peste afflatus teneatur accedere ad Sacramenta minimo quàm fieri potest ministrantis periculo, graviterque peccent, si morbum suum occultare volentes, cum sanis in Ecclesia accedant ad confitendum Sacerdoti, nihil (nisi peractâ confessione) de carbunculo suo indicantes. Quia Confessarium, rationabiliter invitum, sine sufficienti necessitate periculo vitæ exponunt, & cum ipso multos alios, si Confessarius habitet in familia numerosa.

## CAPUT XX.

Momentosa, ex dictis capite præcedenti, Corollaria derivantur.

211 Primum namque ex ibidem dictis colligitur, non solum in peste, sed & in persecutione militari, quando ob trucidationem multorum plures fugiunt hæc & illuc, ubi magna pars parochianorum remanet in pago, vel oppido, debere & Parochum remanere, vel se recipere ad locum vicinum, unde facile possit ipsis Sacramenta ministrare. Cum omninò verisimile sit, inter tot, non sine vitæ periculo remanentes, aliquos versari in extrema, aut gravi necessitate Sacramentorum. Si tamen omnes parochiani fugerent, Pastor sequi posset oves suas, & ibi esse, ubi suæ oves. Et quamvis ipsum concernat cura Ecclesiæ, sacrorumque vasorum, cap. un. de offic. Sacrist. & cap. 1. de offic. Custod. ideòque teneatur cum aliquo suo incommodo impedire (si possit) ne indignè tractentur. Ad id tamen impedendum, non tenetur, cum vitæ periculo, subfiliere in loco, ubi id timetur. Maxime cum plerumque sit valde incertum, an manendo impedire queat. Tenetur tamen secum asportare sacras hostias, oleum sacram, & calices, si possit: vel si non possit, sacras hostias absumere (si non habeat conscientiam peccati mortalis) etiam non jejunos, ne indignè tractentur à militibus hæreticis.

Colligitur 2<sup>o</sup>. ne tunc quidem Parochum fugere posse, sed in debitum pastoralis officii peccare, si fugeret, dum oppidum armatâ manu capitur, trucidanturque omnes obvii. Quia tunc bonus Pastor dare debet animam pro ovis ab æterna morte liberandis, si speret se, antequam trucidetur, ad piam in Christo mortem dispositurum aliquos è parochianis suis.

Colligitur 3<sup>o</sup>. Prælatos Regulares, utpote ex officio Curatores animarum sibi commissarum, teperi, per se, vel per alium idoneum, dicta Sacramenta ministrare.

Colligitur 4<sup>o</sup>. quòd si tempore pestis nullus foret Parochus, qui peste afflatis Sacramenta ministraret, privatus Sacerdos teneatur se, pro eis iuvandis, exponere periculo mortis. Quia haud dubium est, quin tempore pestis multi sint in gravi periculo excidendi à salute: vix autem moraliter accidit (inquit Arriaga de Sacram. disp. 43. n. 8.) quin ubi multi sunt in gravi periculo ejusmodi, aliqui non sint extremè indigentes confessione. Quilibet verò Sacerdos ex charitate tenetur se periculo mortis exponere, ad succurrendum proximo extremè indigenti, dum Parochus vel non adest, vel officio suo deest.

Accedit, quòd licet Sacerdos privatus fortè non teneatur vitam discrimini obicere, ad subveniendum privato homini, non extremè, sed graviter tantum indigenti; secus tamen ad succurrendum Communitati graviter indigenti. Quia sicut Commune bonum præferendum est privato; sic grave periculum Communitatis præferendum est gravi periculo, imò & damno hominis privati, etiam damno vitæ ipsius.

Colligitur 5<sup>o</sup>. Religiosos Mendicantes ad id præ reliquis Sacerdotibus privatis teneri, utpote ex sua institutione Episcoporum Parochorumque cooperatores, & laborum suorum participes, uti eos vocat Clemens V. in Concilio Viennensi Clem. dudum de sepulchris. Videri possunt hæc de re Rodriguez to. 3. q. 31. a. 4. Rutilius Benzoni de fuga l. 1. pag. 12. & seqq. Bosco de Ministro Sac. Pœnit. disp. 8. sect. 8. a. n. 28. ubi concludunt, quòd quando contagium generale in civitate timetur, constatque, vel ex facti evidentia, vel ex Episcopi declaratione, Curatos ordinarios competenter satisfacere non posse spiritualibus necessitatibus proximorum, Religiosos Mendicantes, seu alias ex instituto vitæ activæ, populorumque salutis incumbentes, tum ex charitate, tum ex instituto suo, teneri non fugere, Prælatoque suo, præcipienti ut peste afflatis Sacramenta ministrant, obedire. Tamen Prælati imprudenter acturus sit, si ad id meticulosiores, Ordini utiliores, destinaverit præ minus utilibus, & ideò pesti concipiendæ minus obnoxii, quia minus metulosos. Rodriguez n. 5.

Sed quid de Regularibus contemplativis, non activis, v. g. Carthusianis, tenentur, in defectu Parochi, si alius Sacerdos haberi nequeat, providere ex solitudine sua, ut tunc fungantur officio Parochi?

Respondeo affirmativè: quia religiosa professio vitæ solitariae & contemplativæ, neminem eximit ab obligatione legis naturalis, de succurrendo proximis in tanta necessitate. Quod & verum est, tamen Pastor, & alii Sacerdotes v. g. Mendicantes præsentés sint, si servire nolint. Tunc enim quicumque alii Sacerdotes ex charitate tenentur subvenire, ita ut mortaliter peccet quilibet Sacerdos, cujus tergiversatione fit, ut infirmus sine confessione moriatur. Chapeville c. 3. q. 3. & seqq.

## CAPUT XXI.

*Ad validam susceptionem Sacramentorum Baptismi, Penitentiae, Extreme Unctionis & Matrimonii, requiritur positivus consensus adulti suscipientis. An etiam ad validam susceptionem Confirmationis & Ordinis, necnon ad fructuosam susceptionem Eucharistiae? controvertitur.*

118 **G**lossa in caput *soles* de Consecr. dist. 4. & in cap. *maiores* de Baptismo, docuit validum esse Baptismi Sacramentum, susceptum ab eo qui corde dissentit, modo ore dicat se consentire. Sed glossam hanc Gregorius XIII. deleri iussit. Et oppositum Innoc. IV. in citato capite *maiores* de Baptismo declaravit, dicens, quod *ille qui penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti*. Nec hoc restrinxit ad eum, qui ore contradicit, ut constat ex verbis sequentibus: *Tunc ergo characterem sacramentalis imprimitur operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenit obstantem*. Enimvero si invitus & voluntate contradicens valide baptizaretur, ad jurisdictionem ecclesiasticam pertinere. Unde ad servandam regulam Fidei Christianae forent ab Ecclesia rationabiliter compellendi. Verum id est Religioni Christianae contrarium, ut semper invitus, & penitus contradicens, ad recipiendam & servandam Christianitatem aliqui compellatur. Haecenus laudatus Pontifex.

219 Cuius haec declaratio an divina fide tenenda sit? absit ut negem. Video tamen aliquos negare dicentes cum Bellarmino l. 4. de Pontifice c. 14. multa esse in Decretalibus Pontificum quae non faciunt rem in illis determinatam esse de fide, sed solum declarant de rebus determinatis opinionem Pontificum, quam in praxi oportet sequi. Neque enim (ait Tannerus disp. 1. de fide q. 4. dub. 6.) *hoc ipso quo Pontifex suam aut alterius sententiam, seu doctrinam, in iure canonico reposuit, eam illico auctoritate definit, ut recte Bannez*. Atque ut Melchior Canus observavit l. 6. de locis c. 8. ad 6. respondens saepe Pontifices ad privatas huius aut illius Episcopi quaestiones, suam opinionem de rebus propositis explicando, non sententiam ferendo, qua obligare velint ad credendum. Et lib. 5. cap. .... non statim, si quidquam in iuris canonici volumine continetur, fide divina esse credendum. Quod paulo post probat: quia Decretales nonnullas constat a Posterioribus meliori consilio revocatas, quando non ex firmo decreto, sed ex Pontificum opinione prodierunt. Sic cap. *licet* de sponsa duorum Alexander III. resolvit matrimonium, semel contractum, non dirimi per subsequens consummatum, *quavis interim aliter a Praedecessoribus nostris sit aliquando iudicatum*. Et confirmant ex praefatione Gregorii Papae in libros Decretalium, qua declarat eas in unum compilatas, ut iis Iudices uterentur in iudiciis, & Scholares in scholis; non unumquemque ut Fidei Catholicae normam statuerent omnibus fidelibus.

220 Sed quidquid de eo sit, tunc saltem videntur Pontifices autoritative definire, & sententiam ferre, cum determinat quidpiam esse de fide, talemque determinationem reponunt in canonico iure. Quod in praesenti quaestione videtur contingere. Siquidem Innocentius in praefatione citati canonis declarat, Episcopum Arelatensem Petri Sedem (ad quam maiores causas, praesertim articulos fidei, constat esse referendas) super quibusdam quaestionibus, quas contra Catholicos haeretici moverant, recte consuluisse. Inter istas vero quaestiones, praesentem determinat Pontifex, & determinando declarat esse de fide, sive de Christiana

Religione, quod nullus invitus compehensus sit ad observandam regulam Fidei Christianae: nullus proinde in Ecclesia subditum adscribitur per baptismum, nisi volens, si ratione & voluntate utatur. Et hoc est quod Augustinus can. *cum a multis* de Consecr. dist. 4. ait, *neminem renasci ex aqua & Spiritu sancto nisi volentem*. Et ratio est, tum quia baptismus est quaedam Fidei Christianae professio (ideo namque baptismus a SS. Patribus vocatur *Sacramentum fidei*;) sicut ergo fidem nemo recipit nisi volens; ita nec fidei Sacramentum. Tum quia sicut divina providentia, quae suaviter omnia disponit, non vult quemquam ratione utentem justificari & salvari nihil velit; ita non vult quemquam ratione utentem, de non subdito, fieri Ecclesiae subditum, deque non Christiano Christianum, nisi velit, prout ex Majorum traditione laudatus Pontifex declaravit. Unde ad hoc ut dormientes & amentes characterem suscipiant Sacramenti, requirit hanc conditionem: *si prius Catechumeni fuissent, & habuissent propositum baptizandi*. Et in Concilio Carthaginensi III. c. 34. necnon in Arausiano I. cap. 12. dicitur *agrotos esse baptizandos; si tamen suae voluntatis praecedentis habuerint testimonium*.

221 Quod autem nullus ratione utens justificetur, nisi velit, constat ex Tridentino sess. 6. c. 7. dicente, *justificationem esse renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae & donorum*. Necnon ex eo quod Innocentius IV. canone citato definit, *actuale, quod consensu contrahitur, sine consensu minime relaxari*.

222 Propterea non placet sententia Cajetani, Le. defmae, nostri Stephani a sancto Paulo, aliorumque opinantium, ad validum Baptismum ratione utentis, sufficere quod Baptismum non suscipiat invitus, sed passivè se habeat, sive quod advertens Baptismum sibi conferri non resistat. Quia ex intentione Christi, nobis per allata fundamenta innotescente, ad validum Baptismum ratione utentis requiritur consensus verus & positivus, saltem implicitus. Taciturnitas vero, seu non resistentia baptizati, aliis admniculis non suffulta, neque contentum verum significat, neque dissentium. Siquidem qui tacet non scietur, sed neque utique negare videtur. Reg. 44. juris in sexto. Neque ex sola taciturnitate & non resistentia inducitur gravissima obligatio duendi vitam christianam, ut ex multis legibus offendit Fagnanus ad cap. *suae litterae* de Cler. per salt. promot. n. 54. Nec denique passivè se habens magis censetur, etiam fictione juris, consentire in Sacramentum, quam in nudam corporis abluionem. Si vero *adulto deesse intentio suscipiendi Sacramentum* (ait S. Thomas q. 68. a. 7. ad 2.) *esse rebaptizandus*.

223 Haecenus de consensu ad Baptismum requisito. Quod etiam necessarius sit ad validam receptionem Matrimonii, manifestum est ex eo quod sit contractus, qui non perficitur nisi mutuo contractantium consensu.

224 Neque id minus manifestum est de Penitentia. Ut pote cuius partes materiales sunt actus proprii & voluntarii ipsiusmet poenitentis. Nec mirum, quia peccatum *actuale, quod consensu contrahitur*, atque in hoc Sacramento clavibus subjicitur, *sine consensu minime relaxatur*, ut dicitur laudato cap. *maiores*. Et hinc concluditur, idem dicendum de Sacramento Extreme Unctionis, utpote instituto ad abstergendas condonandasque reliquias peccatorum.

225 Major est difficultas de Sacramento Ordinis. Siquidem invitos valide ordinari, Morinus, alique graves Auctores ab ipso relictos docent, & ipsum varia argumenta suadent, nullumque occurrit argumentum efficaciter dissuadens. Et primum quidem argumentum pro valida ordinatione



ne hominis inviti, fumitur ex can. 33. penitentiali, ubi sic: *Episcopus qui ordinat, sine iusta causa, Clericum invitum, sive reclamantem, vel penitentem invitum* (nota *ly penitentem invitum*, quo confutatur glossantes, de invito secundum quid) *absoluitur suspenditur uno anno*. Si invalida foret talis ordinatio, rem tanti momenti canon non subtraheret, nec tacite innuisset, ex iusta causa id fieri posse, dum solum invitum ordinationem, sine iusta causa, punivit: cum tamen omnem invitum ordinationem punire debuisset, si invalidam censuisset.

226 Argumentum secundum fumitur ex can. ubi *ista dicitur*, ubi Simplicius Papa valide, licet illicite, ordinatum agnoscat *Fraterem & Coepiscopum nostrum*, ut ait, Gregorium, licet invitum. Neque enim ipsum Fraterem & Coepiscopum vocaret, nisi valide ordinatum agnosceret.

227 Argumentum tertium suppeditant varia exempla Sanctorum, qui invitos ordinarunt. Quomodo S. Epiphanius invitum ordinavit Paulinianum fratrem D. Hieronymi, de quo Baronius ad annum 392. post D. Hieronymum epist. 60. Item S. Flavianus, Patriarcha Constantinopolitanus, invitum ordinavit Macedonium, Anachoretam sanctum, sed ex imperitia ignorantem quid circa se ageretur: *Cum* (inquit Theodoretus in Monastica Historia c. 13.) *peracta liturgia illi quidam hoc indicasset (ignorabat enim prorsus, quid egerent) primum quidem conviciis, verbisque aperis proferdit unum versus, deinde accepto, quo innixus propter senium incedebat, baculo, Pontificem ipsum ac alios qui aderant, infectus est*. Prorsus ergo invitum ordinatus est.

228 Argumentum quartum petitur ex eo quod plurimi sancti viri sibi ipsis pollicem, vel aliud membrum absciderint, ne ordinarerentur Episcopi, vel Presbyteri. Quos inter Ammonius (apud Sozomenum lib. 5. c. 7.) videns alios velle ipsum in Episcopum promovere, nec valens eos sermonibus avertere, sibi propriam abscidit aurem, dicens: *Jam ne volens quidem potero ordinari: cumque nec sic avertentur, juravit, etiam linguam abscidit, si vim niterentur inferre*. Ad quae extrema Sancti non recurrissent, si solo defensu, resisteretque voluntas irritam reddi ordinationem suam credidissent.

229 Argumentum quintum petitur à ratione: quemadmodum enim nullus quidem invitum fieri potest Religiosus; factus tamen Religiosus potest invitum fieri Abbas, vel Prior. Sic nullus baptizari, nec ecclesiasticae jurisdictioni subijci potest invitum; semel tamen baptizatus, atque ecclesiasticae jurisdictioni subiectus, potest ab ea invitum fieri Sacerdos, Episcopus, &c. dum id Ecclesia necessarium judicat pro communi bono multorum. Neque enim Ecclesia minorem in subditos habet potestatem, quam Rex, vel Princeps secularis, qui invitos constituit potest. Officiarios regni sui.

230 Quia tamen ex simili ordinatione gravia oriri possunt inconvenientia, similes ordinationes regulariter illicitae sunt, nec permittuntur, nisi ex gravi causa, ut colligitur ex citato canone 33. penitentiali.

231 Superest ut aliquid de Confirmatione dicamus, sicut & de fructuosa divina Eucharistiae susceptione. De quibus nonnullis videtur rationem esse aliter statuendi, quam statuat communis opinio Doctorum, pro iis, sicut & pro aliis, requiruntur positum consensus. Enimvero positiva requiritur devotio ad fructuosam divinam Eucharistiae manducationem: igitur & positiva voluntas eam suscipiendi. Paucisque probatur opinio eujusdam Recentioris hinc disp. 4. dub. 4. existimantis aditum, si iustus fuerit, recepturum gratiam Eucharisticam, si casu reciperet hostiam consecra-

tam pro non consecrata, vel consecrata ipsi dormienti intruderetur. Tamen enim talis Eucharistiam materialiter sumat, non sumit sacramentaliter. Quia non fumit ut rem sacram (quomodò sumi vult Christus) sed perinde ac si fumeret profanam. Quod respectu adulterum non sufficit ad manducationem fructuosam. Quòd si fructuosè eam manducet in phrenesim actus, idè est quia ante phrenesim eam ut rem sacram desideravit pro casu necessitatis. Non sic iustus, de quo proximè. Neque enim bonus Catholicus, requisitus an vellet sine devotione recipere hostiam consecratam pro non consecrata, vel an vellet eam in somno recipere, seclusà omni necessitate, responderet affirmative; sed statim diceret, abist: vellem enim eam debita cum preparatione ac devotione recipere.

## CAPUT XXII.

*Ad licitam receptionem Sacramenti vivorum, status gratia usque adeo requiritur, ut sacrilegium committat, quisque dispositionem pro gratia habituali comparanda necessarium scienter omittit, etiam in casu quo necessitas non concedit tempus comparandae contritioni necessarium.*

Ludovicus Scildere in Thesi de Sacramentis anno 1648. Lovanii propugnata, inter alias propositiones, merito displicentes, hanc statuit: *Peccat sacrilegio mortali, qui dispositionem pro gratia habituali accipienda requisitam omittit: nisi quando summa necessitas contritionem non permittit*. Quam propositionem licet nuperimè tucatur Didacus de Ortopaga in consutatione libelli anonymi pag. 25. Merito tamen eam displicere dixi 1.º. quia obligatio non recipiendi Sacramentum vivorum in statu peccati mortalis, sic est de jure divino & naturali, ut necessitas, quae non concedit tempus requisitum ad gratiam habitualement comparandam, aliquando quidem dispensat à Sacramenti receptione, sed non permittat illud recipere indignè, id est absque debita dispositione.

2.º. quia propositio illa januam aperit innumeris sacrilegiis impiorum, qui summam sibi necessitatem, temporisque defectum facile perflua debent ad Sacramenta absque debita dispositione recipienda. Neque enim casus ille necessitatis, contritioni tempus non permittentis, metaphysicus est, vel moraliter impossibilis. Cum & saepe Confessoris copia desit, nec perfecta contritionis, imò nec sufficientis attritionis actus, ordinariè momento comparatur ab iis qui in horrendum scelus inciderunt, vel aliunde peccando se gratia indignos reddiderunt, quibus interim non raro vel communicandi necessitas occurrit, v.g. ad vitandam infamiam, vel celebrandi in die festo, ac parochiani Sacram omittant, &c.

Sed & casus, in quo patroni illius propositionis se fundant, moralem istius casus possibilitatem ostendit. Quid enim (inquirunt) de Sacerdote, qui videt hereticos concuicaturus sacram hostiam, vel in cloacam projecturos, nisi eas statim deglutat? numquid in hoc saltem casu currere potest propositio?

Respondeo negativè. Quia alienam irreverentiam praeveneri non licet per irreverentiam propriam, praesertim aequè vel magis gravem. Neque enim minor est irreverentia, scienter communicare in statu peccati mortalis, quam sacram hostiam concuicere, vel in cloacam projicere. Quia in tali statu communicans, sacram hostiam proficit in cloacam interiore cordis sui, quae apud Deum magis foetida est, quam cloaca exterior.

CAPUT XXIII.

*Conscientiam habens peccati mortalis, sacramentaliter confiteri tenetur, antequam recipiat Sacramentum vivorum.*

235 Sic statuunt Concilia Rothomagensis, Remensis, Aqueensis, Turonensis, &c. Sic etiam docent Catechismus Romanus n. 173. relaus, S. Antoninus, Adrianus VI, Molanus, & alii n. 173. laudati. Nec est qui contradicat de suscipiente Sacramentum Eucharistiæ. Utpote de quo id expressè statuit Concilium Tridentinum sess. 13. c. 7. & can. 11. De aliis Sacramentis id ipsum.

Probatur 1<sup>o</sup>. ex omnibus Scripturæ & Conciliorum textibus, quibus jubemur dignè & sanctè suscipere Sacramenta. Neque enim dignè & sanctè, imò indignè ea suscipit, qui conscientiam habens peccati mortalis, neglecto securo & certo medio se reconciliandi cum Deo, sciens & volens, absque necessitate, exponit se periculo suscipiendi indignè, juxta illud: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Cui concinit magistralis Augustini regula: *In rebus ad salutem anime pertinentibus, certis incerta proponere, quis dubitet certissimum esse peccatum?* Quodd autem certis incerta proponat, periculoque indignæ receptionis, absque necessitate, se exponat, qui confessionis neglecto remedio, ea suscipit, patet ex dictis citato n. 173. & seqq.

236 2<sup>o</sup>. ratio propter quam Tridentinum censet confessionem necessariam ad suscipiendum Eucharistiæ Sacramentum, ad vitandum utique morale periculum indignæ receptionis, currit etiam in aliis Sacramentis, ut probatum est ibidem n. 177.

3<sup>o</sup>. Ecclesia non solum præcipit confessionem ante Eucharistiæ sumptionem, sed & ante susceptionem Confirmationis, aliorumque Sacramentorum. Siquidem de Consecr. dist. 5. can. 6. statuitur, *ut jejuni ad Confirmationem veniant... ut moneatur confessionem facere prius, ut mundi donum S. Spiritus valeant accipere.* Nota rationem cur monendi sunt prius confessionem facere, *ut mundi donum S. Spiritus valeant accipere.* Quæ profecto ratio præceptum designat, non consilium dumtaxat. Siquidem mundities ad recipiendum donum Spiritus sancti est de præcepto, non solum de consilio. Canon iste reperitur inter Capitula Herardi Archiepiscopi Turonensis to. 3. Conciliorum Galliæ edit. Sirmond. sub tempore Nicolai I.

238 Similiter in Concilio Rothomagensi anni 1581. *Episcopi... Sacramentum Confirmationis... adultis, non nisi confessis, & profitentibus Symbolum Apostolicum, tradant.*

239 Et in Concilio Turonensi anni 1583. ad Sacramentum Confirmationis, *adulti non nisi præviâ peccatorum confessione admittantur.* Similia habentur in Conciliis Remensi ejusdem anni, Bituricensi anni 1584. & Aqueensi anni 1585.

240 De Sacramento Extremæ Unctionis in antiquo Codice Siculo, plusquam à 600. annis conscripto (quem ex Bibliotheca Catinensi refert Lucas Holstenius) sic habetur: *Antequam unguatur infirmus, confiteatur omnimodis Deo, & Sacerdoti suo, &c.*

241 De Sacramento Ordinis antiqua Ecclesiæ praxis est, illius susceptioni præmittendam esse confessionem. Propterea namque in Pontificali Romano habetur, quod olim Metropolitæ deputabat aliquem discretum de sua Ecclesia Confessorem, cui consecrandus peccata sua confitebatur. Neque certe aliunde quam ex illa Ecclesiæ praxi D. Antoninus de ordinandis scribit, quod *confessionem*

Tom. III.

*præmittere debeant, sicut & fieri debet in omnibus Sacramentis, excepto Baptismo, quod est janua aliorum. Similiter Argentinas in a. dist. 17. q. 2. a. 4. Si homo vult recipere Corpus Christi, vel sacros Ordines, tunc debet confiteri, si nescit se habere aliquod mortale peccatum.*

At si ita est (inquis) cur Tridentinum sess. 13. c. 7. specialiter declarat confessionem præmittendam communioni; de cæteris verò Sacramentis id non declarat? 2<sup>o</sup>. cur sess. 24. c. 1. de Reform. conjuges hortatur, non verò obligat ad confessionem præmittendam matrimonio, vel illius consummationi?

Ad primum. Respondeo rationem esse, quia (teste Pallavicino l. 12. c. 1.) inter articulos commissos à Patribus examini Theologorum, decimus iste fuit: *solanæ fidem esse sufficientem dispositionem ad Eucharistiæ; neque ad id confessionem esse necessariam.* De necessitate verò confessionis ad alia Sacramenta, nulla fuit ab hæreticis contra Catholicos mota quæstio. Et idè nulla pro aliis Sacramentis facta decisio. Neque enim Tridentinum congregatum fuit ad decidendas controversias Catholicorum adversus Catholicos, sed Catholicorum adversus hæreticos. Dum tamen Tridentinum definiit, confessionem Eucharistiæ præmittendam, *ne tantum Sacramentum indignè, atque idè in mortem & condemnationem sumatur,* satis insinuavit, eum qui se contritum existimat, per hoc securum non esse de sua cum Deo reconciliatione, nec proinde ordinariam fidelium contritionem sufficere ad vitandum morale periculum fumendi Sacramentum indignè. Hoc ipso proinde insinuavit, seu colligendum reliquit, quod sicut ad vitandum illud morale periculum confessio præmittenda est susceptioni Eucharistiæ; ita & susceptioni aliorum Sacramentorum. Vide supra n. 177.

Ad secundum. Respondeo rationem esse triplicem. Prima, quia Tridentinum generatim ibi loquitur; non speciatim de iis solis quos conscientia peccati mortalis gravat. Quibus solis necessariam dicimus confessionem. Secunda, quia Tridentinum de sola ibi non loquitur confessione, sed & simul de communione. Quæ quia præcepta non est, haud mirum, quòd ibi verbo non utatur præceptivo, sed exhortativo. Tertia, quia Tridentinum definire noluit, nisi quod in Ecclesia erat certum; non quod erat inter Catholicos controversum. Ob rationem diètam in respons. ad 1. Idè ergo usum est verbo *hortamur*; quod commune est ad ea quæ præcepti sunt & consilii.

CAPUT XXIV.

*Nullum aliud Sacramentum, à non baptizato valide & fructuose recipi, verum est, & secundum hoc procedendum in praxi; sed dubitabile, non omninò certum in speculatione.*

Ratio prioris partis est, quia Baptismus est fundamentum & janua Sacramentorum reliquorum, cap. per Catechismum de cognat. spirit. in 6. Propter quod cap. 52. 1. q. 1. ex Concilio Nicæno sic habetur: *Siquis ad Ecclesiam confugerit de Paganis & Cataphrygis (à quibus non servatur legitima forma Baptismi) statutum est rebaptizari eos omninò debere. Siqui vero Clerici erant apud eos... rursus etiam ab Episcopo Ecclesiæ Catholicæ ordinentur... Circa Diaconos... eadem forma servabitur. Et cap. si quis Presbyter, de Presbyter. non baptiz. Siquis Presbyter ordinatus, deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur.*

Et sic haud dubiè servandum in praxi. Tametsi speculativè loquendo, ordinationem Presby-

E

teri non baptizati Innocentius III. cap. *veniens* cod. tit. non habet ut certò invalidam, sed ut dubitabilem & ambiguum. Sic enim ait ibidem: *Cumque super Ordinibus fuisset diutius disputatum, quidam in eam declinaverant sententiam, ut cum Baptismus sit fundamentum omnium Sacramentorum, ante susceptionem Baptismi non suscipiatur aliud Sacramentum. Quoniam ubi fundamentum non est, superedificari non potest. Alii vero opposuerunt, quòd cum quis non solum per Sacramentum fidei (id est per Baptismum in re) sed per fidem etiam Sacramenti (id est per Baptismum in voto) efficiatur proculdubio membrum Christi, & qui Christum habet per fidem, etiamsi Baptismus non habeat, habet utique fundamentum... quòd est Christus Jesus; superedificare posse videtur, sicut salusifera opea, sic & quilibet Ecclesiastica Sacramenta (excepto saltem Penitentia Sacramento, quòd in Ministro requirit jurisdictionem, quam Ecclesia non habet in non baptizatum: cum illud non sit generaliter verum, neque de novis, neque de veteribus Sacramentis, quòd Baptismus sit fundamentum illorum. Quoniam & Sacramentum conjugii, & Eucharistia à non baptizatis recipi potest.*

246 Post quæ sic hinc inde ventilata, Innocentius III. concludit sic: *Quia verò in Concilio apud Compendium legitur, quòd si quis in Presbyterum ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur. Nos circa latorem presentium in HCC DUBITABILI CASU (nota) quòd intus est sequentes, mandamus, quatenus ipsum per singulos Ordines usque ad sacerdotium promovere procuret... Quia non intelligitur iteratum, QUOD AMBIGUITUR (iterum nota) esse factum.*

247 Ecce ordinationem Presbyteri non baptizati Pontifex declarat *ambiguum & dubitabilem* (non certò invalidam) idèoque practicè repetendam.

248 Quia verò Pontifex ibidem non reprobatur opinionem eorum, qui censent Sacramentum conjugii, atque Eucharistia, à non baptizatis recipi posse: nonnullis probabile videtur, quòd Hugo Victorinus l. 2. erudit. Theol. p. 11. c. 13. & Adrianus VI. in 4. q. 11. docent, Matrimonium, à non baptizatis celebratum, esse verum Sacramentum, si nihil aliud desit quàm Baptismus. Cui opinioni favere videtur idem Innocentius III. cap. *gaudemus*, de divortio, scribens, quòd *Sacramentum conjugii apud fideles & infideles existat. Quam opinionem non improbabilem esse censet Franciscus Farvacquez in opus. de Sacramento Baptismi cap. 1. q. 3. 5.*

249 Qui doctissimus Author ibidem §. 4. similiter existimat, cum qui bonà fide putans se baptizatum, cum non sit, Eucharistia Sacramento devotè suscipit, gratiam illius ex opere operato recipere, probatque ex Dionysio Alexandrino apud Eusebium Histor. lib. 7. c. 5. in epist. ad Xistum Pontificem scribente, ut sequitur: *Erat apud nos frater quidam antiquitus; antequam ego etiam Episcopus ordinarer: is cum interesset his qui baptizantur, & audiret, vel quid interrogentur, vel quid responderent, stens accessit ad me, & procedens ad pedes meos, confiteri cepit, se Baptisma ab hæreticis aliter suscepisse, quòd, secundum ea quæ viderat à nobis ministrari, nec Baptisma duceret, eò quòd esset repleta blasphemis omnis illa confessio. Simul & hoc habebat, se in tantum pro hoc errore infirmulari, ut ne oculos quidem audeat erigere; propter quòd exorabat se mundari, & purificari Ecclesiastico Baptismo, ut & gratiam posset consequi Spiritus sancti. Quòd ego facere non ausus fui, sed dixi, ei posse sufficere tam multæ temporis communionem quam in Ecclesia consecutus est, hoc est, quòd à nobis Eucharistia recipiens donum, responderit, Amen. Ex quo & per*

*singula potuisset ipsa Sacramentorum virtute purgari. Cohortabar igitur debere considerare fidei suæ, & conscientia jam purgatæ, & ante omnia quòd tandem in Sacramentis nobiscum particeps fuerit. Sed ille neque à lætù cessat, neque ultra ad mensam Dominicam audeat accedere, &c.*

Probat etiam idipsum ex S. Ambrosio in vita 250 S. Satyri fratris sui, de quo adhuc Catechumeno scribit, Eucharistiam in naufragio fructuosè recepit: *Satyrus, priusquam perfectioribus esset initiatus mysteriis, in naufragio constitutus, cum ea quæ vehebatur navis, scopulo illisa vado, & urgentibus hinc inde fluctibus solveretur... ne vacuum mysterii exiret à vita, quos initiatus esse cognoverat, ab his divinum illud fidelium Sacramentum poposcit... ut fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium illud involvit collo, atque ita se dejecit in mare, non requirens de navis compage resolutam tabulam, cui supernatas juvaretur: quoniam fidei solius arma quaeserat... Nec deseruit spes, nec sefellit opinio, primus servatus ex undis, & in portum terrene rationis evectus, &c. Subdit Ambrosius: *Qui tantum mysterii caelestis involuti in orario præsidium fuisset expertus, quantum arbitratur, si ore sumeret, & toto pectoris hauriret arcano? Quam majus putabat solum in viscera, quòd tantum sibi tectum orario profuisset. Quibus verbis perspicuè innuit, Satyrum inde percepturum sacramentale præsidium, si ore, tamen Catechumenus, perciperet. Quid enim aliud intelligere potuit, dicendo, quam majus præsidium, si ore sumeret, &c.**

251 Obicit quidem Cardinalis de Lugo 1.º. Eucharistia Sacramento institutum esse ad pacendam Christi oves. Sed quid inde? Ut membrum Christi; ita Christi ovis homo non solum efficitur per Baptismum in re, sed & per Baptismum in voto.

252 Obicit 2.º. Eucharistiam esse spirituale nutrimentum. Quòd supponit subjectum esse spiritualiter genitum. Sed tamen spiritualis generatio regulariter, & per se fiat per Baptismum in re; quidni extraordinariè, & per accidens subinde fiat per Baptismum in voto? Sic Eucharistia regulariter, & per se supponit suum subjectum esse in gratia; extraordinariè tamen, & per accidens subinde causat primam gratiam, juxta probabiliorum D. Thomæ sententiam.

253 Obicit 3.º. Baptismum esse fundamentum reliquorum Sacramentorum. Sed ad hoc responsum est cap. *veniens* de Presbyt. non baptizato habes supra n. 245. Eo quippe sensu fundamentum est reliquorum Sacramentorum, quòd fundamentum salutis, sive quò Christus dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. non potest intrare in regnum Dei.*

CAPUT XXV.

*Licitum subinde est Sacramenta petere & recipere à Ministro malo, etiam hæretico, schismatico, vel aliàs excommunicato, non tolerato, si mortis necessitas urgeat. Imò & absque necessitate à Ministro malo, tolerato, si copia non sit probi Ministri.*

254 **P**riorem partem disertè tradit Augustinus l. 6. de Baptismo c. 5. his verbis: *Potest quis à separato salubriter accipere, si ipse non separatus accipiat: sicut plerique accidit, ut catholico animo, & corde ab unitatis pace non alieno, aliquà necessitate mortis ingruentis in aliquem hæreticum irruerent, & ab ipso Christi Baptismum sine illius perveritate acciperent. Et l. 7. c. 52. Hæretici, & schismatici non amplius in domo, sed extra domum*

*Sunt. Ideoque neque utiliter habent, neque ab eis Sacramentum utiliter petunt, nisi forte accipiendi necessitas urgeat (necessitas utique mortis, ut antè dixi) & accipientis animus ab amicitia vinculo non recedat.*

*jusque Sacramenti propriam, & accommodatam.*

255 Tamen verò plures apud Dianam p. 10. tr. 11. resol. 64. censent in necessitate mortis à Ministro hæretico licitè peti Eucharistiam per modum Viatici: quia tamen necessitas solum exigit Sacramenta ad salutem simpliciter necessaria, Baptismum scilicet & Pœnitentiam; potestque Christianus sine aliis Sacramentis, absque dispendio salutis, ex hac vita discedere, Doctores communiter tradunt (ut videtur ex Augustini mente) solum Baptismum & Pœnitentiam in necessitate mortis ab hæretico Ministro licitè peti. Et idè S. Hermenegildus mori maluit quàm Eucharistiam ab Episcopo Ariano accipere, ut refert D. Gregorius l. 3. Dial. c. 31. Moyies quoque Moachus (teste Sotomèno l. 6. c. 38. necnon Socrate l. 4. c. 29.) à Mauvia Saracenorum Regina in Episcopum postulat, manus impositionem à Lucio, impiissimo Ariano, recipere constanter recusavit.

256 Elle verò grave peccatum ab hæretico, vel schismatico Sacramentum absque necessitate recipere, satis innuit Augustinus c. 52. citato, dum ait: *neque ab eis utiliter Sacramentum accipitur.* Cum inde consequens sit, non dignè ab eis accipi (aliàs utiliter acciperetur) sed indignè.

Posteriorem partem idem Augustinus ibidem exprimit, his verbis: quòd à talibus Sacramentum utiliter accipitur, qui non ipsi corde & moribus, sed sancte domini copulantur. Et ratio est, quia talis Minister, cum non sit extra sanctam Ecclesiæ domum, potest, si voluerit, Sacramentum benè & licitè administrare (quod non possunt hæretici, extra Ecclesiæ domum constituti, dum nulla accipiendi necessitas urget) & tamen sciam ipsum absque peccato non ministraturum, ipsum equidem non induco in peccatum, dum in meo utor in utilitatem non parvam animæ meæ.

257 Fundaturque hæc doctrina in Decreto Concilii Constantiensis à Martino V. approbato, ubi sic: *Insuper ad evitanda scandala, & multa pericula, que conscientis timoris contingere possunt, Christi fidelibus, tenore presentium, misericorditer indulgemus, quòd nemo deinceps à communione aliquis in Sacramentorum administratione, vel receptione (nota) aut aliis quibuscumque divinis, vel extra, prætextu cujuscumque sententia, aut censure ecclesiastica, à jure vel ab homine generaliter promulgata, teneatur abstinere.* Nulla ergo sententia vel censura, generaliter lata contra Ministrum Sacramentorum, Christi fideles impedit à licita communicatione cum illis in Sacramentorum usu & receptione. Impediret autem, si liberè & licitè ab illo Sacramenta petere & recipere non possent.

258 Si tamen non deesset copia digni Ministri, peccatè graviter, si Sacramentum peterem à Ministro indigno, quem scirem indignè ministraturum, nec peccatum istud commissurum, nisi peterem. Cavendum quippe peccatum proximi, dum sine dispendio caveri potest. Ita Navarrus & Doctores passim contra Sotum & Joannem de la Cruz apud Leandrum à SS. Sacram. disp. 5. de Sacram. in gen. q. 11.

CAPUT XXVI.

*Sacramenta omnia nova legis gratiam sanctificationem dignè sumentibus conferunt ex opere operato, sicut & oportuno tempore gratiam actualem (quam vocant) sacramentalem, usque ac finem.*  
Tom. III

PRIMA pars fide certa est ex Tridentino sess. 7. 259 can. 8. confirmaturque ex Scripturis n. 13. & 16. relatis. Necnon ex traditione totius Ecclesiæ, quæ semper agnovit in Sacramentis vim collativam gratiæ, ut constat ex Symbolo Constantinopolitano, *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Quia verò vis ista non provenit à Ministro, neque à fuscipiente, sed à Christo supra dignitatem & merita, tam Ministri, quàm fuscipientis (ut passim docent SS. Patres, nominatim Augustinus l. 4. contra Cresconium c. 16. ubi: *Non eorum meritis, à quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur, constat Baptismus, sed proprià sanctitate, atque veritate, propter eum à quo institutus est*) Tridentinum convenienter id expressit, dum dixit Sacramenta gratiam conferre *ex opere operato* Quas voces dum dedignantur hæretici, ridiculè, neglectè substantià rei, de vocibus cavillantur.

Secunda pars ostenditur, quia quodlibet Sacramentum, præter communem effectum, id est gratiam sanctificantem, speciale habet suum effectum, ad quem perducit, per gratiam actualem cuique specialem. Siquidem per Baptismum confertur specialis gratia ad ducendam vitam christianam, per quam baptizatus munitur contra subsecuturas tentationes, ut Terrallianus l. de Baptismo tradit, dicens: quòd per Baptismum *subsecuturis tentationibus munimenta præstitimus.*

Per Confirmationem datur gratia conferens robur, ne Christi opprobria Christianus erubescat (inquit Augustinus in Psal. 30.) sed nomen ipsius audacter consteatur.

Per Eucharistiam confertur gratia, ad fovendam & augendam in nobis charitatem, nutriendamque proinde & promovendam vitam spiritualem, *qua gratia se habet ut antidotum quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur,* prout Tridentinum testatur sess. 13. c. 2.

Per Pœnitentiæ Sacramentum confertur gratia specialis auxilii, ad fortius & constantius decertanda, cautiusque & efficacius vitanda impostitum peccata, sicut & ad satisfaciendum pro commissis.

Per Extremam Unctionem speciale datur auxilium, quod ægrois animam alleviat, & confirmat, *magnam in eo divine misericordie fiduciam excitando, quò infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus demonis calcaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur,* prout idem Trid. ait sess. 14. c. 2. de Extr. Unct.

Per Sacramentum Ordinis, speciale tribuitur adjutorium ad sacras functiones sanctè & religiosè obeundas.

Per Sacramentum denique Matrimonii, specialis gratia præstatur ad fovendum mutuum inter conjuges amorem, ad fidem conjugalem servandam, atque ad proles in Dei timore & amore procreandas & educandas, denique *ut sciat unusquisque conjugatus vias suam possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut gentes, &c.* ut Apostolus ait ad Theisal. c. 4.

De caractere, qui est proprius effectus, non omnium, sed trium Sacramentorum, Baptismi scilicet, Confirmationis & Ordinis, nihil opus est hîc dicere. Satis enim de eo dictum n. 18. 19. 20. & 21.

CAPUT XXVII.

*Tamen sola Sacramenta morsuorum, Baptismus*

scilicet & Pœnitentia, per se, sive ex primaria sua institutione, conferant primam gratiam; reliqua tamen Sacramenta per accidens eam subinde conferunt.

268 Prima pars perspicua est ex eo quod idem dicantur Sacramenta mortuorum, quia primario instituta sunt, ut de mortuis secundum animam faciant vivos, per gratiam quæ vita est animæ.

269 Secunda pars (licet adversantes habeat Vasquezium, Card. de Lugo, & alios) est S. Thomæ 3. p. q. 72. a. 7. ad 2. & q. 79. a. 3. & q. 80. a. 4. ad 5. Scoti, Richardi, Gabrielis, Paludani, Cajetani, Soti, Gonet, Herinx, aliorumque Thomistarum & Scotistarum passim, item Tolcti, Suarez, Henriquez, Valentia, Cominck, Tanneri, & aliorum exemplificantium in eo, qui Sacramenta ista cum attritione suscipit, bonâ fide putans se esse in gratia, cum non sit, nullamque habens conscientiam peccati mortalis, post debitum conscientia examen.

270 Et ratio est, quia sicut Baptismus & Pœnitentia, tametsi per se Sacramenta mortuorum, primarioque instituta ad conferendam primam gratiam, aliquando ex accidente conferunt gratiam secundam, seu gratiæ augmentum, utique dum suscipiuntur ab eo qui jam antè est justificatus: sic & reliqua Sacramenta, tametsi per se Sacramenta vivorum, primario proinde instituta ad conferendam gratiam secundam, seu gratiæ augmentum, subinde ex accidenti conferunt gratiam primam. Ex se enim vim habent gratiam conferendi, semperque illam conferunt subiecto obicem non ponentis, prout Tridentinum docet sess. 7. can. 6. & 7. Accidit verò quoddam existens in mortali non ponat obicem gratiæ, dum scilicet nullam habet memoriam, nec conscientiam illius, post debitum conscientia examen, idèque bonâ fide existimat se esse in gratia, cum non sit, nec affectum habet ad peccatum, sed attritus ad Sacramentum accedit. Quo proinde casu Sacramenta dicta, gratiam ipsi conferunt. Non secundam. Ergo primam. Idque supponere videtur Ecclesia, dum in aliqua collecta petit, ut Eucharistia sit ablutio scelerum. Sicut & Augustinus relatus cap. *invitat* de Consecr. dist. 2. cum ait: quoddam *cuma manducatur Christus, mortuos vivificat*. Imò & Jacobus Apollolus, dum epistolæ suæ canonicæ cap. 3. de Extremæ Unctionis subiecto dicit: *Si in peccatis sit, remittentur ei*. Neque enim hoc dicit de solis reliquis peccatorum (utpote quæ semper reperiuntur in infirmo) sed de ipsis peccatis actualibus, etiam mortalibus, de quibus conscientiam non habet, habet tamen attritionem, quæ per accidens remittuntur ei.

271 Neque efficacia sunt quæ Adversarii in contrarium objiciunt. Utiq; 1. quod Sacramenta gratiam non conferant, nisi ex institutione Christi, qui Sacramenta vivorum non instituit ad dandam primam gratiam. 2. quod Sacramenta vivorum non significant primam gratiam; nec eam proinde causent. Cum id solum causent, quod significant. 3. quod Eucharistia, cum sit cibus (qui mortuo applicatus, nunquam ei tribuit vitam) per accidens nunquam conferat primam gratiam. Ergo nec reliqua Sacramenta vivorum. 4. quod non sit ratio obligationis Sacramenta ista recipiendi in statu gratiæ, nisi quia vim non habent conferendi primam gratiam. 5. quod cum per se virtutem non habeant conferendi primam gratiam, nec eam conferre possint per accidens. Neque contrarium rectè inferatur, ex eo quod Sacramenta per se conferentia primam gratiam, per accidens conferant secundam. Cum plus sit conferre primam gratiam, quam secundam; nec valeat argumentum à minori ad majus. Neque e-

nim consequens est, id quod potest majus, potest minus. 6. quod S. Thomas nostras non fateat assertioni, cum q. 72. a. 7. ad 2. dicat, quod Confirmatio non debet dari his qui non habent gratiam, & propter hoc sicut non datur non baptizatis; ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per pœnitentiam reparatis. Ex quibus verbis conficitur, quod sicut Confirmatio, sine prævio Baptismo, ne quidem per accidens conferat gratiam; ita nec eam conferat sine prævia pœnitentia reparante, sive gratiam primam conferente.

Hæc, inquam, argumenta efficacia non sunt. Non primum: quia Christus omnia Sacramenta instituit, ut conferant gratiam non ponentibus obicem. Contingit autem obicem non poni Sacramento vivorum à mortuo, qui se vivum existimat, ut supra vidimus. Quo proinde casu, si fuerit attritus, Sacramentum istud gratiam ipsi conferet. Non secundam. Ergo primam. Ad quam conferendam licet Christus illud non instituerit primariâ intentione, bene secundariâ.

Nec secundum: quia satis est, quod Sacramenta vivorum verè significant & causent gratiam, ad hoc ut subinde causent per accidens gratiam primam. Quia per accidens contingit, gratiam quam causant esse primam, ut vidimus. Nec ad causandam per accidens gratiam primam, necesse est quod eam significant ut primam. Quod enim vulgò dicitur: Sacramenta id solum causant, quod significant: verum est de effectu per se, sive principali; (ut enim S. Thomas ait Supplementum q. 30. a. 1. *ex ipsa significatione Sacramenti, debet accipi ejus principalis effectus*) sed non necessarium est de effectu per accidens, seu secundario.

Nec tertium: quia licet cibus materialis, qui per se non est vita, nec in se convertit alium, ipsi nequeat vitam restituere. Id tamen potest Eucharistia, quæ est vita per essentiam, altumque in se convertit. Præsertim cum homo, qui aliter Eucharistia, non sit in casu nostro sic mortuus, quin aliquem exerceat actum saltem imperfectum vitæ spiritualis, Eucharistiam cum attritione, fide, & reverentia manducando. Confer id quod S. Thomas dicit infra n. 277.

Nec quartum: quia ratio istius obligationis est, quia Sacramenta ista, per se loquendo, sive ex primaria Christi institutione, gratiam supponunt in subiecto suo. Nec eam conferunt subiecto sibi concilio peccati mortalis, si non deit ipsi copia Confessoris. Idèque tenetur confiteri. Ad quod non tenetur qui non est concilius.

Nec quintum: quia gratia secunda non est minor, nec ignobilior gratiâ primâ. Nec differentia gratiæ primæ à secunda est penes ipsam entitatem gratiæ, sed penes subiectum. Eadem quippe gratia collata subiecto viventi spiritualiter, est secunda; quæ collata subiecto spiritualiter mortuo, foret prima. Non major proinde requiritur in Sacramento virtus ad conferendam gratiam primam, quam secundam. Et quis dicere potest, Eucharistiam, quæ Christum continet, minoris esse virtutis, quam Baptismum, vel Pœnitentiam?

Nec denique sextum: quia aded perspicua est hac de re sententia S. Doctoris, ut mirum sit Adversarios tam facile, sive ob argumenta tam facile solubilia, ab ea recedere. Siquidem citatâ q. 72. a. 7. ad 2. perspicue dicit, quod si aliquis adultus, in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non scilicet accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento (Confirmationis utique) consequetur remissionem peccatorum. Et q. 79. a. 3. de Eucharistia loquens, dicit, quod virtus hujus Sacramenti potest considerari dupliciter. Uno modo secundum se, & sic hoc Sacramentum habet virtutem ad remittendum quæcumque

peccata (nota) ex passione Christi, quae est fons & causa remissionis peccatorum. Alio modo potest considerari per comparationem ad eum qui recipit hoc Sacramentum, prout in eo invenitur, vel non invenitur impedimentum percipiendi huius Sacramenti effectum. Quicumque autem habet conscientiam peccati mortalis, habet in se impedimentum percipiendi effectum huius Sacramenti. . . . Unde hoc Sacramentum in eo. . . non operatur remissionem peccati. Potest tamen hoc Sacramentum operari remissionem peccati. . . . etiam perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet. Forè enim primò non fuit sufficienter contritus; sed devotè, & reverenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum gratiam eucharistiae, quae contritionem perficiet, & remissionem peccati. Propterea (ut addit ad 1.) petimus ut hoc Sacramentum sit ablutio scelerum: vel eorum, quorum conscientiam non habemus. . . . vel ut contritio in nobis perficiatur, ad scelerum remissionem. Ecce perspicue docet quòd Eucharistiae Sacramentum, perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet, non invenit in ipso impedimentum percipiendi huius Sacramenti effectum, dum utique, hoc quòd non habet conscientiam sui peccati, contingit sine culpa ipsius, quod q. 80. a. 4. ad 5. contingere dicit, cum doluit de peccato; sed non est sufficienter contritus. Sufficit enim si in se signa contritionis inveniat, puta si doleat de praeteritis; & proponat cavere de futuris. . . . vel si totaliter est peccatum oblitus. Et Supplem. q. 30. a. 1. ubi quaerit, an Extrema Unctio valeat ad remissionem peccatorum, quodlibet (inquit) Sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit. . . . Unde principaliter hoc Sacramentum est institutum ad sanandum infirmitatem peccati. . . . Et hic defectus, nihil aliud est quam quaedam debilitas. . . . quae in nobis relinquatur ex peccato. . . . contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc Sacramentum. Sed quia hoc robor gratia facit, non compatitur peccatum: idè ex consequenti (nota bene) si invenit peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipsum (audis?) dummodò non ponatur obex ex parte recipientis, sicut etiam de Eucharistia & Confirmatione supra dictum est. Et idè (nota argumentum ipsius ex Scriptura) etiam Jacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens: Si in peccatis sit, dimittentur ei, scilicet quoad culpam. Non enim semper delet peccatum (quoad culpam) quia non semper invenit, &c.

278 Ex his luce meridiana clarius est, secundum S. Thomam, Sacramenta Confirmationis, Eucharistiae, & Extremæ Unctionis aliquando conferre primam gratiam. In yanum proinde contrarii Authores S. Doctorem in suam sententiam pertrahere conantur, ex eo quòd 3. p. q. 72. a. 7. ad 2. dicat: quòd sicut Confirmatio non datur non baptizatis; ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per poenitentiam reparatis. Certum quippe est, S. Doctorem in verbis istis postremis non agere de peccatoribus peccati conscientiam inculpate non habentibus, sed vel peccati conscientiam habentibus, vel suâ culpâ non habentibus (quos solos, secundum Tridentinum, necesse est per præviam poenitentiam, seu Poenitentiae Sacramentum in re susceptum reparari) qui enim peccati conscientiam non habent inculpabiliter, quia peccatum totaliter oblitus sunt, in re confiteri nequeunt peccatum, cujus nullam omninò conscientiam, nec memoriam habent. Nec ad hoc tenentur, ut Tridentinum definitivè fess. 14. c. 5. his verbis: *Constat enim nihil aliud in Ecclesia à poenitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentis se ex-*

*cesserit, & conscientie suae sinu omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum Deum mortaliter offendisse meminerit. Manifestum est ergo S. Doctorem ibi ad summum velle, quòd sicut Confirmatio sine prævia Baptismo non confert gratiam; ita nec sine prævia poenitentia reparante eam confert peccatoribus, peccati conscientiam habentibus, vel suâ culpâ non habentibus.*

CAPUT XXVIII.

Sacramenta ejusdem speciei conferunt ex opere operato majorem gratiam melius dispositis: aequaliter dispositis (v. g. Baptismus infantibus) aequalem.

Sermo est de Sacramentis novæ legis, quæ aequaliter dispositis aequalem gratiam ex opere operato idè conferunt, quia (ut S. Thomas arguit q. 69. a. 8.) existente aequali virtute causæ, & aequali dispositione subjecti, non est unde proveniat effectus inæqualis. Ubi verò inæqualis est dispositio subjecti, secundum Synodum Tridentinam fess. 6. c. 7. loquentem de justificatione per Baptismum, Sacramentum confert gratiam secundum propriam ejusque dispositionem, id est proportionatè ad illam. Eò quòd utique Deus in ordine gratiæ imitetur ordinem naturæ. Undè sicut in naturalibus subjectum melius dispositum præstantiorem effectum participat ab eadem causa æquè applicata: sic etiam in supernaturalibus.

Nec assertio procedit de sola gratia, quæ subiecto confertur ex opere operantis; sed & de gratia, quæ ipsi confertur ex opere operato, sive ex virtute passionis Domini nostri Jesu Christi. Ut enim S. Thomas ait in 4. dist. 4. q. 2. a. 3. quaestione. 2. ad 2. *quamvis passio Christi, quæ in Baptismo operatur, quantum est de se, aequalem respectum ad omnes habeat: quia tamen quidam ad Baptismum cum majori preparatione fidei & devotionis accedunt quam alii, idè quidam aliis majorem gratiam consequuntur.* Eò quòd utique virtus passionis Christi cuique per Sacramenta sic communicetur supra meritum dignitatemque subjecti, (propter Christum à quo, velut Agente principali actio sacramentalis procedit) ut tamen cuique communicetur cum proportionè ad dispositionem recipientis. Sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat; licet ignis, quantum est de se, aequaliter ad omnes calorem suum effundat, ait S. Doctor q. 69. a. 8. in corp.

CAPUT XXIX.

Non omnia Sacramenta fide suscepta, sublata fide reviviscunt; sed solus Baptismus, & fortè duo alia characterem imprimunt, Confirmatio scilicet, & Ordo, fortè etiam Matrimonium.

Baptismus fide susceptum (id est susceptum sine debita dispositione, vel cum contraria dispositione, sive affectu ad mortale peccatum) sublata fide reviviscere, id est gratiam causare, quam in sui susceptione fictio impedivit, communis est sententia Doctorum ex can. tunc valere de Consecr. dist. 4. ubi dicitur, quòd tunc valere ad salutem incipit baptisma, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ, corde in malitia, vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri. Canon iste desumptus est ex Augustino l. 1. de Baptismo c. 12. Qui idipsum tradit lib. 3. c. 13. lib. 4. c. 3. & lib. 6. c. 25.

Morinus quidem de Poenit. l. 9. c. 13. dicit quòd *reviviscuntiam virtutis Baptismi de eo sapientium intellexerunt Patres, qui extra Ecclesiam susceptus est.* Sed fallitur vir doctissimus: liquidem

Augustinus citato lib. 4. c. 3. agens, non de hereticis vel schismaticis, sed de pseudo-Christianiis, qui seculo solis verbis, & non factis renuntiant, siue de auaritia, raptoribus, seuatoribus, quos non tantum foris, sed etiam intus esse, multis litterarum suarum locis Cyprianus ipse testatur; agens (inquam) de istis, non mutato corde, adedque fidei Baptismum recipientibus, expressè dicit, quòd hoc eis praestaret vera conversio, ut Sacramentum, quod non mutatis valebat ad perniciem, mutatis valere incipiat ad salutem. Arguitque deinde à reviviscencia Baptismi pseudo-Christianorum ittorum, ad reviviscenciam Baptismi haereticorum.

283 Non solus ergo Baptismus extra Ecclesiam, sed & in Ecclesia fidei susceptus, sublatà fictione causat gratiam, & remittit peccatum originale, actualisque ante Baptismum commissa, quoad poenam & culpam.

Sed quid de peccatis commissis post Baptismum? Quid etiam de peccato fictionis, cum quo susceptus fuit Baptismus? Quid denique de peccatis concomitantibus Baptismum?

Respondeo ad primum, non remittere peccata post Baptismum commissa. Cum nullum Sacramentum sit institutum ad remittendum, etiam per accidens, peccata post se commissa, eorumque reviviscencia solum faciat, ut Sacramentum faciat, quod ab initio fecisset, sublato obice. Pro eorum itaque remissione institutum non est Baptismus, sed Pœnitentia, juxta Tridentinum sess. 14. c. 5. definiens, *institutum esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam esse.* Et can. 1. *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia poenitentiam non esse verè & propriè Sacramentum pro fidelibus, quos post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandos, à Christo Domino institutum, anathema sit.*

284 Respondeo ad secundum, non remittere etiam peccatum illud fictionis. Quia licet Baptismo non sit posterius tempore, est quodammodò naturà posterius. Est enim sicut peccatum indignè susceptionis Baptismi. Adedque formaliter & directè repugnat dispositioni requisitæ ad effectum Baptismi (in quantum formaliter & directè repugnat contritioni, vel attritioni, sine qua non potest remitti) & ided fidei non remittitur per Baptismum (ait S. Thomas q. 69. a. 10. ad 2.) sed per poenitentiam subsequenter; quod & Augustinus significare videtur, dum lib. 1. de Bapt. c. 1. dicit, *fictionem verè confessione vocedero, id est remitti.* Quia cum non repugnet substantiæ Baptismi, sed effectui, per contrarietatem referatur ad effectum, non ad substantiam Baptismi. Est ergo quodammodò naturà posterior Baptismo, prout effectus Baptismi. Quia *relativa sunt simul naturà.*

285 Ad tertium variant Auctores. Siquidem Cajetanus, Petrus de Soto, Suarez, & alii censent peccata concomitantia Baptismum, remitti per Baptismum. Quod & S. Thomas innuere videtur loco proximè relato, ubi postquam dixit, quòd fidei non remittitur per Baptismum, sed per poenitentiam subsequenter; addit, quòd *ea remota, Baptismus auferit culpam, & reatum omnium peccatorum precedentium Baptismum, & etiam simul existentium cum Baptismo.*

286 Nihilominus Dom. Sotus, Ledesma, Aravio, & alii discipuli S. Doctoris id intelligunt de peccatis Baptismum tempore concomitantibus, non usque ad instant terminativum illius inclusivè. Cum eadem sit ratio peccatorum, quibus voluntas afficitur, usque ad instant terminativum Baptismi inclusivè, ac ipsius fictionis. Nam prout actu sunt in voluntate, in illo instanti terminativo, per suam actualitatem etiam habent repu-

gnantiam cum effectu Baptismi, seu gratia, sicut & cum dispositione ad eam requisita, eamque perinde impediunt. Nec minus sunt peccata hominis baptizati, quam ipsa indigna susceptio. Nec denique peccata actu existentia in instanti terminativo Baptismi, remitti queunt per Baptismum, ut videtur manifestum. Igitur remitti debent per poenitentiam, sicut fidei de qua S. Doctor supra. Eo quippe nomine dicta peccata S. Doctor comprehendit. Cum & ipsa sint fictio quadam, seu obex impediens dignam & fructuosam susceptionem Baptismi. Et ided huic etiam sententia subseribit Card. de Lugo de Sacram. Poenit. disp. 16. sect. 1. & nostris, Bone-Spei, Antonius à S. Spiritu, & eos referens Franciscus à Jesu Maria tr. 6. de Sacram. Poenit. c. 4. n. 15.

Si petas, quomodo remittantur per poenitentiam dicta peccata, cum simul sint cum peccatis Baptismum antecedentibus, quæ per poenitentiam remitti nequeunt, sed per solum Baptismum?

Respondeo Deum uno eodemque instanti tunc remittere peccata antecedentia & consequentia Baptismum, non vi solius Baptismi, nec vi solius poenitentia; sed antecedentia remittere vi Baptismi, consequentia vi poenitentia; sic proinde ut plena integrale remissio fiat virtute utriusque Sacramenti concurrentis ad remittenda respectivè peccata, ad quorum remissionem sunt instituta.

Superest ut videamus, an sicut Baptismus fidei susceptus, fictione sublata reviviscit, ita & alia Sacramenta pariter reviviscant?

Respondeo nullà auctoritate, vel ratione efficaciter probari reviviscenciam ceterorum Sacramentorum, ut satis offendit summa Theologorum hac de re inter se dissensio. Nam Sotus reviviscenciam soli Baptismo tribuit. Durandus etiam Pœnitentia. Suarez eam reliquis Sacramentis tribuit, præterquam Eucharistia. Cajetanus & plures alii eam omnibus tribuunt, etiam Eucharistia.

Est ergo res incerta. Cum tota pendeat à Christi voluntate, quæ nobis non innotescit, neque per Sanctorum traditionem, neque per sufficientem rationem. Neutràm enim habemus pro reviviscencia reliquorum Sacramentorum, exceptis tamen duobus aliis, characterem imprimentibus, Confirmatione scilicet & Ordine. Quòd enim Baptismus reviviscat, est ne semper aliquo effectu suo frustretur, cum interabilis sit, nec proinde effectus ipsius Sacramenti iteratione compensari possit. Quæ ratio in duobus aliis Sacramentis pariter interabilibus, & utcumque etiam in Matrimonio procedit. Et ided Augustinus reviviscenciam etiam Ordinis Sacramento expressè tribuit l. 2. contra Cresconium c. 10. agens quippe de Sacerdotibus in hæresi ordinatis, sic ait: *Christiana sanè in vobis Sacramenta agnosco. Apud vos quidem aliena sunt; sed cum cor vestrum corrigatur, sunt ea salubrior vestra, quæ perniciosè habebatis aliena.* Dixi allatam rationem utcumque etiam procedere in Matrimonio. Quia licet iterabilis sit, non tamen vivente comparet. Et ided probabiliter reviviscit. Ne vivente comparet semper frustretur effectus.

#### CAPUT XXX.

Per nulla Sacramenta, per nullam etiam contritionem, peccata post Baptismum commissa, remittuntur absque ordine ad claves.

290 Morinus l. 9. de Poenit. c. 11. postquam dixit Sacramentum Confirmationis hæreticis in hæresi fidei baptizatis, si à peccatis ad Deum convertantur, primam gratiam conferre; n. 14. addit, quòd, ut Confirmatio in hoc casu ex attrito faciat contritum, nulla est Sacramenti Poenitentia necessitas:

necessitas: siquidem gratiam in peccatore disposito producit sine ullo voto & relatione ad Sacramentum Pœnitentiæ posse suscipiendum.

291 Sed in hoc crasse videtur doctrinam Concilii Tridentini esse discordans à definitione Concilii Tridentini sess. 14. c. 2. Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus, sine quo in re vel in voto nullus adultus peccator justificari potest. Ergo nullus etiam post Baptismum lapsus sine Pœnitentiæ Sacramento, in re vel in voto, justificari potest. Aliàs sine eo salvari posset, in

casu quo sine eo justificatus instanti sequenti moreretur.

Accedit quoddam ibidem c. 5. Tridentinum addat, peccatorum confessionem omnibus post Baptismum lapsis, jure divino necessariam existere. Est igitur necessaria iis qui confirmantur. Quoddam c. 4. contritioni charitate perfectæ sic tribuat vim reconciliandi cum Deo, ante actualem susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, ut tamen addat, reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.

## LIBER SECUNDUS. AMOR REGENERANS PER BAPTISMUM.

Sive

### DE SACRAMENTO BAPTISMI.

**S**ic ad Dei dilectionem in nobis excitandam, nutriendam, & augendam nihil ita valet, sicut beneficiorum ejus frequens & diligens recordatio, vel consideratio (ut ait Author lib. de diligendo Deo apud Augustinum to. 9.) quantum ad dilectionem in nobis excitare, nutrire, & augere non debet inenarrabile Baptismatis donum, per quod Deus eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, in remissionem peccatorum: In Baptismo quippe (ut Gratianensis ait de convert. peccat. p. 1. c. 12.) mundamur ab originali peccato, à demonum potestate liberamur, filii Dei, & heredes regni Dei efficiamur. In Baptismo, mi frater, Christus desponsavit sibi animam tuam, & monilibus, gemmisque tam sublimi dignitate exornavit, qualia sunt gratia, virtus, donum Spiritus sancti, aliaque munera & ornamenta plurima, qualia Isaac misit Rebecca, cum illam accepit uxorem. Quid fecisti tu, ut vel minimum horum dignus sis accipere? ... Quanta debes Domino Deo, quod in tanta, tamque infinita re, oborum infidelium multitudine voluerit te in electorum numero recenseri? inter domesticos Ecclesiæ nasci? lacte Apostolorum nutriri? &c.

#### CAPUT I.

Baptismi definitio, divisio, & institutio.

**B**aptismus à S. Thoma q. 66. a. 1. definitur, Ablutio corporis exterior sub præscripta verborum forma. Hæc definitio rectè explicata optima est. Explicatius tamen sic definitur: Baptismus est Sacramentum, quo homo exterior abluitur, & spiritualiter regeneratur per aquam, sub forma verborum à Christo præscripta. Sic enim clarè explicatur materia, forma, & finis institutionis Baptismi, qui est spiritualis regeneratio. Quam Augustinus tr. 11. in Joannem præclare explicat, dicens: Due sunt nativitates, una de terra, alia de celo. Una de carne, alia de spiritu. Una de mortalitate, alia de æternitate. Una de maculo & femina, alia de Deo & Ecclesia. Illa facit filios carnis, hæc spiritus. Illa facit filios mortis, alia resurrectionis. Illa filios sæculi, hæc filios Dei. Illa filios iræ, hæc filios misericordiæ. At per hoc illa peccato originali obligatos, ista omni vinculo peccati liberatos.

2. Tamen propriè non fit nisi unus Baptismus,

juxta illud: Una Fides, unum Baptisma, Ephes. 4. in triplicem nihilominus dividi solet, utique in Baptismum fluminis, flaminis, & sanguinis. Verum duo ista posteriora baptismata includuntur in Baptismo aquæ, inquit S. Thomas loco citato a. 11. ad 1. in quantum scilicet vera non sunt baptismata sine voto baptismatis aquæ.

Primus itaque Baptismus, est Baptismus fluminis, seu aquæ, proximè definitus. Secundus est Baptismus flaminis, seu desiderii, tunc contingens, quando ex amore Dei perfectò vehementer dolet quis de peccatis suis, cum sincero voto seu desiderio percipiendi Baptismum. Tertius est, dum mortem seu martyrium quis voluntariè suffert pro confessione fidei, vel defensione acriter virtutis christiænæ.

De his duobus Augustinus relatus can. Baptismi de Consecr. dist. 4. dicit, Baptismi vicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est: "Hodie mecum eris in Paradiso," non leve documentum B. Cyprianus assumit. Quod etiam atque etiam considerans, invenio, non tantam passionem pro nomine Christi, id quod ex Baptismo deerat, posse supplere; sed etiam fidem, conversionemque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium Baptismi, in angustiis temporum, succurri non potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinoram suorum. Nec quia credidit, passus est; sed dum patitur, credidit. Quantum itaque valeat, etiam sine visibili Sacramento Baptismi, quod ait Apostolus: "Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem," in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cum mysterium Baptismi, non contemptus Religionis, sed articulus necessitatis excludit.

Sed & Innocentius III. cap. Apostolicam, de S. Presbytero non baptizato, declarat, Presbyterum, quem sine unda Baptismatis extremum diem clausisse significasti: quia in sanctæ Matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, & celestis patriæ gaudium esse affectum, asserimus incunctanter. Lege lib. 8. Augustini de Civit. Dei. ubi inter cætera legitur: Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus Religionis, sed articulus necessitatis excludit. Librum etiam B. Ambrosii de obitu Valentini, idem asserentis, revolve. Sapis igitur questionibus Doctorum, Patrum sententias teneas, & in Ecclesia tua iuges preces, hostiasque Deo offeras pro Presbytero memorato.